2

DE LOCIS S. SCRIPTVRAE HEBRAICIS

ANGELI CANINII COMMENTARIVS,

ET ANTONII NEBRISSENSIS QVINQVAGENA.

Nunc primùm ſimul emendatiùs edita.

ACCESSIT GASPARIS VARRERII LVSITANI DE OPHIRA REGIONE in Sacris litteris Diſputatio.

Ad Cl. V. BALTHASAREM SVNIGAM, Regis Catholici in Belgio Legatum.



BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA
BIBLIOTHECAE S. M. S. MINERVAM ORD. PRAED.

ANTVERPIÆ,

SVMPTIBVS VIDVÆ ET HÆREDVM IO. BELLERI, ſub inſigni aquilæ aureæ.

ANNO M. DC.

Digitized by Google

AMPLISSIMO VIRO
BALTHASARI
SVNIGÆ, REGIS CATHOLICI IN BELGIO ORATORI,
GASPAR BELLERVS S. P. D.

PTOLEMAEVM *Philadelphum Ægypti Regem memoriæ proditum eſt, vt te non fugit, ampliß.* SVNIGA, *Hebræorum doctiſsimos, ſenos è ſingulis tribubus Hieroſolymis Alexandriam euocaſſe, qui ſacras litteras Græco ſermone redderent; vocanturque hodie rotundo numero* Septuaginta Interpretes. *Sapiebat nimirum rex ille, qui diuino Bibliorum theſauro, Bibliothecam, quam inſtrueret, carere nefas duceret. Idem exemplum parentum memoria ſecutum fuiſſe video è Diui Franciſci familia ſodalem, Fran. Ximenium Archiepiſcopũ*

A 2 Tole-

Digitized by Google

Toletanum, & S.R.E.Card. Raro enim & inuſitato Principibus exemplo, condita recens Academia Complutenſi in Carpetanis, atq; adeò Hiſpaniæ vmbilico, non hic eius beneficentia immortalitate digna ſubſtitit, ſed & maiora & illius penè propria aggreſſus eſt. nam vt ijdem Academiæ alumni Theologiam non è turpidis ſed puris fontibus haurirent Gymnaſium trium linguarum eruditarum inſtituit, quibus linguis Chriſti crux inſcripta Euangeliumque per totum terrarum orbem propagatum, ab Hebræis ad Græcos, hinc ad Romanos, vbi fixum habet domicilium, penetrauit. Mox Biblia illa euulganda incredibili ſumptu curauit, quæ ſummam in Eccleſia Catholica, diligentiæ fideique nomine obtinent auctoritatem, & in Regijs illis Philippi II. Regis Catholici auſpicijs nuper editis, expreſſa videmus. Accitis igitur vndique primùm vetuſtis exemplaribus calamo in membrana exaratis, cùm Hebræis tum Græcis, partim è media Græcia ac Syria, partim è Vaticana Romæ Bibliotheca, bona cum Leonis X. Pont. Max. venia: dehinc doctis hominibus euocatis non Theologis modò, ſed &

linguarum peritis, opus opinione celerius abſoluit, & in omnium oculis, tanquam in claro lumine collocauit: magno ſanè Eccleſiæ commodo, vt his Biblijs Theologi plurimùm ſe profeciſſe indies ingenuè fateantur. horum in numero fuerunt Demetrius Cretenſis, Ioannes & Franciſcus Vergaræ fratres, domo Toletani, & hic Ælius Antonius Nebriſſenſis *Antiquaria in Bæticis oriundus. Is cùm Bononiæ in Hiſpanorum collegio, quod Ægidius Carillus Albornotius Cardinal. ſuæ genti excitauit, ſtudijs operam dediſſet, non tam Iuris Ciuilis ſcientiam, quàm Latinam Linguam (qua nimis diu patriam, Maurorum armis afflictam, carere dolebat) gratus ciuis inuexit, & profligata barbarie Latinum ſermonem inſtaurauit, hoc trophæis meritò adſcripto elogio:*

Barbarie pulſa ponit hæc Antonius arma.

Tandem è litteratore Rhetor, cùm de ſuperiore loco diu Doctoris perſonam ſuſtinuiſſet, Regum Catholicorum hiſtoricus renunciatur: quorum etiam res in Nauarræo regno præclarè geſtas, litterarum, vt illa ferebant tempora mo-

 numentis,

numentis, mandauit. Idem natu grandior ſan-ctæ linguæ non ignarus, & à ſacris, vt Chriſtianum decet hominem, minimè abhorrens, in ſacris Biblijs Præſulis auctoritate elaborare iuſſus eſt. Quo in munere dum ſe exercet gnauiter, tres ſibi Quinquagenas, *hoc eſt, capita obſeruationum è Sacra Scriptura quinquaginta ſcripſerat: quarum duæ priores, incertum an temporum iniuria, an hominum incuria interciderunt; tertia ſalua ad noſtram vſque ætatem peruenit. Hanc longè emendatiùs quàm olim Illiberitani, qui hodie Granatenſes ſunt, nunc nominis tui auſpicio euulgamus vnà cum Angeli Caninij Anglarienſis raro nimis, ſed aureo libello,* De nominibus Noui Teſtamenti Hebraicis: *quem Lutetiæ olim cum Syriacæ linguæ inſtitutione ediderat, poſt Helleniſmos aureum verè librum & Simplicij in Epictetum commentarium Latina ciuitate donatum. Coniungere autem viſum fuit, quod, niſi me fallunt omina, Theologis iuxta atque Eccleſiaſticis vtiliſſima fore confidam. Adieci & Luſitani hominis eruditi, Gaſparis Varrerij* de Ophira regione *in tertio Regum libro commen-*

commentarium, quam Peru, ſeu Piru *eſſe plerique autumant, vnde aurum ædificando Salomonis templo ſit aduectum. Quo de loco varias etiam & repugnantes doctorum hominum ſententias ex Abr. Ortelij Geographico Theſauro collectas, vt ſymbolam quoque contuliſſe videremur adiecimus, quem quidem laborem, vt, qua es humanitate propè ſingulari atque doctrina præditus, æqui boni facias iterum atque iterum rogo. Sic fiet vt diligentiæ atque induſtriæ fructum, abundè tuliſſe videar. Vale.*

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

De nomine Ieſu & Ioua. Cap. I.
De omnibus Dei *nominibus, & quomodo Arabes & Æthiopes* Deum *nominent.*Cap.II.
De צעיר *apud Micheam,&*,Nequaquam minima es,*apud Matthæum.* Cap. III.
De Hoſanna. Cap. IV.
De Amen. Cap. V.
De Rabbi, Rabboní, *& cæteris.* Cap. VI.
De Raca,Mamona,& Concilio.Cap.VII.
De Publicanis. Cap. VIII.
De Camelo per foramen acus. Cap. IX.
De Effathá. Cap. X.
De Mamona,*& locutionib.quibuſdã*.Ca.XI.
De Dimitte nobis,*& alijs.* Cap. XII.
De Meſsia Maria, *& omnium Apoſtolorum nominibus.* Cap. XIII.
De Pane quotidiano, *in oratione Dominica.* Cap. XIIII.

LOCI

LOCI ALIQVOT NOVI TESTAMENTI CVM HEBRÆORVM ORIGINIBVS COLLATI atque hiſtoricè explicati ab ANGELO CANINIO Anglarienſi.

DE NOMINE IESV, ET IOVA'. CAPVT I.

VT HOMINES noſtri linguæ Chaldaicæ cognitionem noui quoque Teſtamenti ſtudio conducere, ac multum ornamenti atque adiumẽti pijs conatibus afferre intelligant: locos aliquot in medium proferemus, quos nemo huius linguæ ignarus aſſequi penitus poteſt. Eam tamen adhibebimus prçfationem, nequis noſtræ religionis myſteria ac dogmata à ſanctiſſimis doctiſſimiſque viris, qui Chaldaicè neſciuerunt, ignorata fuiſſe de noſtris verbis exiſtimet. Nec enim hîc de ſublimibus adeò agemus quæſtionibus: ſed locos quoſdam, quod ad inſtitutum noſtrum attinet, preſſius tractandos, atque accuratius explicandos proponemus: Idque hiſtoricè faciemus ac ſimpliciter quantum è linguæ Hebraicæ atque Syriacç, quas à teneris annis ardentiſſimo ſumus ſtudio complexi, proprietate vſúque intelligere potuimus. Nam ſi, vt Demoſthenicam dictionem, & Homeri ſen-

tentiarum atque verborum maieſtatem inſpiciamus, totam linguam Græcam, quę cùm laborioſius, tum maiore temporis iactura cognoſcitur, ediſcere non piget: videndum eſt, ne turpe homini Chriſtiano ſit, Chriſti verba minoris facere, quàm Homeri aut Demoſthenis: cùm illa præſertim iucundiſſima pios animos voluptate afficiant; hæc aures modò demulceant. Sed iam inſtituta perficiamus, ſi vnum id lectorem monuerimus, vt non authoritatem, nec perſonam, ſed rem ipſam intueatur, quæ rectè intellecta luminis aliquid ſacrarum literarum ſtudijs afferre poteſt. Cùm enim ſacris ſcriptoribus ea deferenda ſit authoritas, vt, quamuis ratio nobis non conſtet, veriſſima tamen eſſe, quæ dixerint, credamus: ſic cęteris tantum habendum eſt fidei, quantum rationibus & argumentis probare atque efficere potuerint.

Primùm itaque de ſanctiſſimo nomine *Ieſu*, quod indignè à quibuſdam laceratur, atque è ſuauiſſimo abſonum ac penè monſtroſum efficitur, tum de *Hoſanà*, *Amèn*, *Rabbi*, ac cæteris eiuſmodi diſputabimus: cũ vt quę perfectè hactenus explanata non ſunt, conferendis priſcorum authorum ſententijs dilucidius è ſua origine exponamus: tum vt ſuperciliosām quorundam doctrinæ oſtentationem cum ſumma inſcitia coniunctam retunda-

fundamus. Qui maximam peregrinarum linguarum ſcientiam iactare & venditare ſolent, atque petulantiſſimis verbis D. Hieronymũ ac noſtros homines proſcindere, vt qui inſcitia lapſi perſæpe vel malè interpretati ſint, vel non intellexerint linguam Hebraicam. Cùm ſi conferantur in vnum iſti omnes, D. Hieronymi inſtar futuri non ſint. Cæterùm ne cõuicijs potius, quàm rationibus agere videamur, iam nomen mirificum Ieſu explicare incipiamus.

Putat Oſiander homo doctus & ingenioſus (ſed cuius diligentiam in linguis peregrinis tractandis deſiderare cogor) & verboſa diſputatione perſuadere omnibus conatur, nomen hoc יהשוה Iehesúh ſcribendum eſſe, vt literas omneis nominis Terragrammati habeat, eáque in re magnum credit ineſſe myſterium: alioqui de Chriſti maieſtate aliquid detractum iri contendit. Nos verò, niſi Cabbaliſtarum nugas in Chriſtianam religionem admittere volumus, nec in literis יהוה Iehouá, nec ישוע Ieſuá magnum aliquod myſterium ponimus: ſed in virtute atque omnipotentia Dei, quæ nullis literarum figuris exprimi poteſt, Myſteriorum vniuerſam abyſſum eſſe credimus. Verùm capita argumentorum eius colligamus, quæ quàm vera ſint, mox apparebit.

Princi-

Principiò ait nomen *Ieſu* in libris alicuius authoritatis ישו Ieſu ſcribi.

Tum putat non eſſe ferendum, ישו, ſine litera Aain ſcribi, ſi Thema eſſet ישע, vt nos credimus.

Deinceps è verbis Matthæi & prophetæ Eſaiæ argumentatur, quæ, ſi Chriſtus vocetur יהושע Iehoſua, non rectè exponerentur. nam, ſi linguæ proprietatem penitus introſpicias, non tam *ſaluatorem*, quàm *ſaluandum* ſignificare.

Præterea aliud *Ieſu*, aliud *Ioſue* eſſe exiſtimant.

Poſtremò apud Arabes biſyllabum ſcribi, & cum *Ieſu* conuenire ait.

Tum, ne Iudæis inuideamus, literas quaſdam interijcit, noménque, quod ſimpliciſſimum ac diuinum eſt, prodigioſum facit, vt nec Hebraicum ſit, nec quicquam prorſus ſignificet.

Hæc omnia commentitia eſſe mox oſtendemus. Quod quò planius intelligi poſsit, primùm quid ſit יהוה Iehoua, videamus. Verùm animaduertendum eſt, hoc nomen יהוה Iehoua vel Ioua, quod Hebræi vocant שם של ארבע אותיות ſcem ſcel arbáa othijóth, *nomen quatuor literarum*, vel *Tetragrammaton*, quod quatuor literis Iod he vau he conſtet, aliter à Iudæis pronunciari, quàm ſcribatur.

Aiunt

Aiunt enim ſuos maiores ab ipſo vſque Moſe,cui primùm traditum eſt, ſemper pronunciare ſolitos *Adonái*, quod eſt Dominus: Deo tamen ſoli tribuitur,vt *Adon* quemlibet *dominum* ſignificat. Septuaginta certè Interpretes,& Apoſtoli atque Euangeliſtę omnes, quod Hebraicè ſcribitur יהוה Ioua, *κύριον*, hoc eſt,*dominum* perpetuò reddunt. Quod illa oſtendunt, נאם יהוה לאדני, Neùm Ioua ladoni, *Dixit Ioua Domino meo*, Pſalm. 110. quod Græci ſcribunt, *εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου*. Et, שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד: Scemáa Iſraël Iehouá elohénu Iehouá ehád, Deut. 6. Quod Euangeliſtę, vt Septuaginta, vertunt, *ἄκουε ἰσραὴλ, κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν, κύριος εἷς ἐστιν*. *Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, dominus vnus eſt*. Vbi vbi præterea in nouo Teſtamento *κύριον* vel *dominum* leges, abſolutè intelligendum eſt יהוה Iehoua, vel אדני Adonái: cùm, vt diximus, Hebræi vtrunque eodem modo pronuncient *Adonái*: niſi quòd Iehoua vocitant אדכרא Adqerá, quod eſt *memoratio*, quaſi ſymbolum mnemoſynúmue dixeris: nempe quòd debeamus hoc nomine audito Dei omnipotentiam in mentem reuocare. *Adonái* autem nominant ודי vadái, hoc eſt *manifeſtum*, quoniam vnicuique ſanæ mentis homini manifeſtum eſt, Deum rerum omnium dominum eſſe ac moderatorem.

rem. Ego itaque, cùm pręſertim authores habeamus Apoſtolos, ídque Eccleſiæ conſenſus receperit, nomina immutanda nõ cenſerem. Nam ſi *dominum* vocemus, planiſſimè omnes intelligent: Si malimus *Iona*, cauendũ eſt, ne indocti offendãtur nominis nouitate. Sed ad propoſitũ reuertamur, quídq; id nomen etymologiæ ratione ſignificet, explicemus. Nullũ enim nomen Hebraicum Syriacúmue eſt, cuius etymon aliquod è Themate & grãmatica analogia reddi non poſſit. Quædã porrò compoſita ſunt, ſed ſic, vt facilè radices omnes diſtinctæ cernantur, vt Gabriél, Melchiſédec, Iſraël. Abraham quoque, quod difficilius reſoluitur, componitur, vt ſcriptura docet, Gen. 17. ex אב Ab pater, רב rab *magnus*, & המון hamon *multitudo*, quòd magnæ multitudinis pater futurus erat: ſed quia nimis durum atque aſperum nomen eſſet, ſi diceremus אברבהמון Abrabhamon, eliditur b: n enim ad thema nòn pertinet, ac euphoniæ cauſſa pronunciatur & ſcribitur אברהם Abraham. Sunt tamen quædam Babylonica, Ægyptiaca, Perſicáque atque aliarum nationum propria nomina, quorum etyma è ſuis quæque linguis petenda ſunt. Nomen certè *Iehoua* ſimplex eſt, facilémque etymi habet rationem. Nam thema הוה Hebraicè atque Chaldaicè ſignificat *eſt*, vel *fuit*: cui præfixa

litera

litera Iod nomen deriuatum format יהוה Iehouá. vt à צחק ſahac *riſit* fit יצחק Iſhác, & à עקב acab *ſupplantauit* יעקב Iacob. *Iehoua* ergo ſignificat, *Qui eſt*, vel, vt Platonicè loquar τὸ ὂν, aut αὐτὸ ὂν, *Ipſum Ens*, vel *Eſſentiæ Ideam*: quam Dionyſius vocat τὸ αὐτὸ εἶναι. Philoſophi interdum nominãt τἀγαθὸν, vel αὐτοαγαθὸν, *ipſum Bonum*, vel *Ideam bonitatis*. Huc facit, quòd Ariſtoteles ſiue Theophraſtus in libro de Mundo ait, ſupremum deorum omnium δία appellari à ζεὺς, nempè δι᾽ ὃν ζῶμεν, propter quem viuimus, quòd ipſe omnia vegetat atque viuificat. Heſiodus quoque in eandem ſententiam cecinit in ἔργοις,

Ουτε δία βροτοὶ ἄνδρες ὁμῶς ἄφατοί τε φατοί τε,
Ῥητοί τ᾽ ἄῤῥητοί τε διὸς μεγάλοιο ἕκητι.

Omnium authorem Iouem eſſe indicans. Quin etiam ipſa ſcriptura planiſſimè etymon exponit, cùm Deus Moſi mandata dans, quis eſſet, docet his verbis, ויאמר אלהים אל משה אהיה אשר אהיה ויאמר כה תאמר לבני ישראל אהיה שלחני אליכם Vaiiómer Elohím el Moſcé Ehiéh aſcér ehiéh vaiiómer cóh thomár libné Iſraél Ehiéh ſcelaháni alechém.

Et dixit Deus Moſi, Ego ſum qui ſum. Sic dices filijs Iſraël, Sum miſit me ad vos, Exod. 3. Ex quibus verbis dilucidè ac ſimpliciter etymologiam nominis habemus. Cùm enim Mo-

ſes

ſes Dei primum imperiũ detrectãs ſcire eius nomen, ſi id forte populus quæreret, ad quẽ legabatur, percuperet: Reſpondit Deus ſe eum eſſe, *qui eſt*, hocque ſuum nomen eſſe. Deus quippe ſolus abſolutè eſt, cętera omnia, quòd ſunt, Deo acceptum referre debent. Iam ergo planum fecimus, ſimplicem eſſe nominis huius ſignificatum, vt interim omittamus acutiſſimè ineptas Iudæorum tricas, qui ſimplici ſententia, hoc eſt hiſtorica veráque neglecta, conſectantur quod nuſquam eſt, vt apud indoctos eruditionis atque acuminis gloriam aucupentur: à doctis certè & prudentibus temeritatis atque impudentię opinionem reportant. Sed prætermittere non poſſum, quod apud Macrobium, multæ ac reconditæ doctrinæ hominem, Sat. lib. 1. cap. 18. obſeruaui: qui cùm deorum omnium nomina ad vnum Deum referre vellet, hunc Orphei verſiculum citat,

Εἷς ζεὺς, εἷς ἅδης, εἷς ἥλιος, εἷς διόνυσος

Bacchus, Sol, Orcus, & Iuppiter vnus & idem.

Huius, inquit, verſus authoritas fundatur Oraculo Apollinis Clarij, in quo aliud quoque nomen Soli adijcitur, qui in eiſdem ſacris verſibus inter cætera vocatur ἰάω. Nam conſultus Apollo Clarius quis deorum habẽdus ſit, qui vocatur ἰάω, ita effatus eſt,

Ὄργια μὲν δεδαῶτας ἐχρῆν νηπευθέα κεύθειν,

Ε'

Ἐν δ' ἀπάτῃ παύρη σύνεσις καὶ νοῦς ἀλαπαδνός.
Φράζεο τῶν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν' ἰάω.

Quorum verſuum hæc eſt ſententia,

Orgia qui norunt, arcana recondere par eſt.
Fraudē mentis inops agitat, quæ inſcitia verſat.
Diuorum ſummum cunctorum en accipe Iao.

Nam quid aliud quæſo per *Iao* intelligemus, quàm *Ioua*? Nam v conſonante Græci carēt, vt δᾶος oſtendit, quē *Dauum* Latini vocant, vt ὄϊς, *ouis*, δῖος, *diuus*. Sic fecerunt ex *Iao Iouem*. Quanquam reclamant Grammatici, qui à *iuuando* dictum volunt. Nec mirandum eſt, quĩ fieri potuerit, vt nomē hoc, quod Hebræi nemini præſertim peregrino cōmittebāt, à Græcis cognoſci quiuerit: Cũ oracula illa cacodęmone magiſtro ac duce inſtituta & celębrata fuerint. Is porrò nomen illud non ignorabat.

Sed eò, vnde diſceſſimus, reuertamur, cùm iam oſtenderimus ſimplicem ac germanã huius nominis ſignificationem, non cabbaliſticam neque commētitiam. Id quod faciendũ eſt in ſacroſancto nomine *Ieſu*, quod Hebraicè dicitur ישוע Ieſúa. Id in ſacris Biblijs aliquoties legitur, quod ignoraſſe videtur Oſiāder, qui ſemper ſcribit יהושע Iehoſúa, negans *Ieſú* vllo pacto idem eſſe, quod *Ioſúe*. Nos ſcimus ſummum ſacerdotem filium Ioſadac יֵשׁוּעַ Ieſúa appellatum, atque eundem יהושע Iehoſua. Nomen itaq; vtrumque vnũ

idémque eſt: niſi Oſiandro plus fidei, quàm Ezræ atque Nehemię volumus adhibere. Ille contendit idem non eſſe vtrunque, hi probant. Qua in re ſuam in ſacris literis tractandis ſomnolentiam atque oſcitantiam prodit, qui ex vno ſcripturæ loco, qui mos ſciolorum eſt, ἵνα μὴ τι πικρότερον εἴπω, probare ſe, ídque contra omnium ſententiam, quod ſemel in animo inſedit, poſſe exiſtimat. Nos verò non è ſomnijs noſtris, ſed ex vſu & ſermone prophetarum idem vtrumque eſſe aſſerimus. Nam ſacerdos ille ſummus, qui cum Zorobabele è Babylonia cum cæteris exulibus in Iudæam redijt, ab Haggæo & Zacharia ſemper nominatur יהושע בן יהוצדק *Iehoſua filius Iehoſadac*, quem eundem Ezras & Nehemias vocant ישוע בן יוצדק *Ieſua filium Ioſadác*, detracta litera he: non vt hoc nomen litera vna tetragrammati defraudarent, ſed ob linguæ Syriacæ proprietatem, de qua mox agemus. Conſtat enim Ezram & Nehemiam hiſtoriam ſcripſiſſe, cùm Iudæi iam ab exilio Aſſyriaco reducti eſſent, & lingua Syriaca loquerentur. Vulgò autem vocabatur ישוע, cùm docti ſcriberent יהושע Iehoſúa more Hebræorum. Sed ne quiſquam hæc à nobis confingi putet, verba Haggæi. 1. exponamus, qui ait, היה דבר יהוה ביד חגי הנביא אל זרבבל בן שאלתיאל פחת יהודה ואל יהושע

בן

:בן יהוצדק הכהן הגדול לאמר , Haiáh deuár Iehouá beiád Haggái hannauíel Zerubbauél ben Schealthiel ben páhat Iehudáh veel Iehoſúa ben Iehoſadac haccohén haggadól lemor. Hoc eſt, *Factũ eſt verbum domini in manu Haggæi prophet. ad Zorobabel filiũ Salatiél Principem Iuda, & ad Iehoſúa filium Iehoſadac ſacerdotem ſummum, dicens.* Atque eadem orthographia in toto vaticinio vtitur, vt Zacharias quoque. Confer nunc Ezram & Nehemiam, qui eodem ſeculo vixerunt, déque ijſdem hominibus locuti ſunt. Ezræ. 2. ſic ſcribitur, ויקם ישוע בן יוצדק ואחיו הכהנים Vaiácom Ieſúa ben Ioſadac veehau haccohanim. *Et ſurrexit Ieſus filius Ioſadac, & fratres eius ſacerdotes.* Lege totum Nehemiam, ſempérque inuenies ישוע Ieſuá, יהושע Iehoſuá nunquam. Quinetiam in 2. Paralip. 31. quorum author Ezras fertur, ſcribitur ישוע Ieſuá. Nempe quòd hi omnes libri poſt exilium Babylonicum conſcripti ſunt. Oſtendimus itaque non erraſſe veteres patres, qui vtrumque *Ioſue* vel *Ieſum* tam ducem, quàm ſummum ſacerdotem, vt nomen, ſic etiam Chriſti typum geſsiſſe autumant. Ob id enim *Ieſus* vocatus eſt Meſsias *Chriſtúſue*, quod eſt *vnctus*: quoniam & rex & ſacerdos, qui ſoli vngebantur, fuit. Quin etiam Angelus Matt. 1. diſertè ait *Ieſum* nominandum eſſe, quòd

ſalutem populo ſuo allaturus erat. Id autem ſignificat etymon *Ieſu*. Quæ ergo impudentia eſt, contradicendi ſtudio adductum, ſuam ſententiam, quæ ſolis coniecturis, ijſdẽque incertis nititur, alijs omnibus inſolentiſſimè anteponere? In Thalmud certè Perec Merubbe ſic legimus, איקלער לבי ישוע הבן *peruenerunt ad domum redemptionis filii*. Nam ſcholiaſtæ Ieſum ישוע *redemptionẽ* & *ſalutem* interpretantur. At ex propheta, qui cap. 1. ait vocatum iri Emmanuél, argumentatur Oſiander. Id enim impletum non eſſe, ſi Chriſtus vocetur יהושע Iehoſúa. Qua in re ſatis mirari nõ poſſum hominis cõtradicendi vi abrepti, atque in anguſtias adacti peruicaciam. Nam ſi Oſiandro credimus, Dei virtus tribus literis tota includitur: quæ ſi quid habent momenti, in nomine יהושע Iehoſua cernuntur: alioqui nemo niſi Hebraicè doctus fidei myſteria intelligere poſſet, quod falſiſſimum eſt.

Quin etiam verba Prophetæ optimè cum Angeli & Euangeliſtę ſententia conueniunt, ſiquidem cap. 30. ait, *Ioua eſt iudex noſter, Ioua eſt præceptor noſter, Ioua eſt rex noſter, ipſe ſaluat nos*. Qui ſaluat ergo, quod facit Ieſus Chriſtus ſolus, quid aliud eſt, quàm Ioua, non nomine, cùm Dei virtus nominibus non comprehendatur, ſed reipſa eſt verus

Ieſus ſaluator, iudex, præceptor, rex, & redemptor,& propterea *Emmanuel*, id eſt, *nobiſcum Deus?* Vides itaque *Emmanuel & Ieſum* idem ſignificare, ſi rem, nō literas ſpectes, quorū vtrunque in Chriſto perfectè impletū eſt. Sed iam cęteris reſpondeamus argumētis.

Quod exiſtimat in libris alicuius authoritatis hoc nomen ישו Ieſu ſcribi, falſum eſſe oſtendit doctiſſimus Iudęus Abèn Ezrá, qui ſemper ſcribit ישוע, lege eius in Geneſin pręfationem. Quin etiam Elias in Tisbi, cur aliquando ישו ſcribatur, pręſertim in Thalmud, rationem affert: confitens ſcribendum ישוע Ieſúa: ſed quoniam Iudæi non credunt eum eſſe ſeruatorem ſuum, ideò literam vltimam Aain abieciſſe: vt hinc iam facile alterum eius argumentum dilui poſſit. Sed ex vſu linguæ Syriacæ atque Thalmudicę, quas ignorare videtur Oſiander, docebimus literas gutturis, vt Hebræi vocant, præcipuè Aain, quæ omnium craſſiſſima eſt, abſorberi, vel potius excidere.

Cùm enim oſtenderimus *Ieſu* & *Ioſua* idē eſſe nomen, ſi rationem vltimę literę Aain reſectæ expoſuerimus, iam nihil amplius, quod dicat, habebit Oſiander. Exempla plurima producere poſſemus, ſed paucis erimus contenti. Nam quod Hebraicè atque Babylonicè dicitur שבע ſeba, *ſeptē*, id Syriacè & Thal-

mudicè vltima litera abiecta ſcribitur שׁב ſab. Sic pro קטיע: qetia,quod eſt *abſciſſus*,dicitur קטי qeti.quod etiã in numeris fit,ארבע עשר Arba asár,*quatuordecim*,ארביסר Arbiſár.

Cùm ergo hoc nomen in libris tantùm Thalmudicis ישו Ieſu ſcriptum inueniatur, quis amplius miretur, cur poſtrema litera reſecta fuerit?

Quòd verò apud Arabes biſyllabum eſſe ait,& cum Ieſu conuenire: id verò nos conſtanter negamus. Vt enim hoc nomen in Alcorano biſyllabum ſit, non tamen quadrat cum Ieſu,cùm ſcribatur עיסאי Iſa cum Aain, quanquam corruptè, quomodo etiam Beelzebub,Euangelium, Eſau,in Iblis & Engil & Eles, quædam alia, deprauarunt. Alij certè Arabum ſcriptores ſæpe ſcribunt ישוע Iaſúe. Nihil ergo hinc,niſi contra ſuam ſententiam, colligere poteſt. cùm vel Arabicè ſcribatur cum Aain.

Nunc veniamus ad יהשוה Ieheſu, quod obtrudere nobis volunt, quod primùm contra Hebraicæ orthographiæ rationem ſcriptum eſſe, tum nihil ſignificare, ſed merum eſſe hominum commentum, qui cùm vt de alijs detrahant,tum vt ipſi ſoli ſapere videantur, hæc confingunt, clariſsimis probabimus argumentis.Sed prius oſtendendum eſt,fidei myſteria locum habere etiam præter literas Hebrai-

Hebraicas,tum ex Apoſtolorum auctoritate, qui bona magnáque, ſi iſtos audimus, myſteriorum parte nos defraudarunt, vt qui Græcè ſcripſerint & locuti ſint : nec tamen vſquam in literis Hebraicis, ſed in prophetarum, & Chriſti ſententijs , quæ in omnibus linguis intelligi poſſunt, myſteria poſita eſſe docuerunt. Tum etiam è priſcorum Hebræorum ſententia, qui ſuis Iudæis permittunt, vt eam precationem,quæ apud eos non minus ſacroſancta habetur, quā apud nos dominica precatio, manéque ac veſperi quotidie canitur à ſingulis , & de nomine *Ioua* præcipuè agit, qualibet lingua recitent. Ea ſunt verba, quæ Deut. ſexto capite leguntur, *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter* &c. Eam precationem à primo verbo vocant שמע ſcemá, *Audi*. Nam in Thalmud Ieroſolymitano, Maſſéchet Sotá, Pérec éllu neemarín, in hunc modum ſcriptum eſt, רבי לוי בר חזותא על לקסרין שמע לון דהוו קרו שמע אלבסתין בעי לעכבון שמע רב יוסי אקפר אמר מי שאינו יודע לקרותה אשורית לא יקרא אלא קורא אותה בכל לשון שיודע ויוצא ידי חובתו: Sentētia hæc eſt, *Rabbi Leui filius Hazota aſcendit Cæſaream, atque audiuit eos qui recitabant ſcemá* (eam ſcilicet precationem , quam ſuprà diximus) ἑλληνιστὶ, hoc eſt, *Græcè. Volebat itaque eis interdicere. Quod cùm audiſſet Rab Ioſes* (*qui nempè*

maiore erat authoritate) iratus eſt, & dixit, Quicunque eam Aſſyriacè recitare neſcit, ne recitet. Recitans autem ea lingua, quam intelligit, hoc pacto ſuo muneri facit ſatis. Vbi ſunt ergo iſti, qui ſuperſtitione pluſquàm Iudaica nos obligare volunt: vt ſi Hebraicè neſciamus, maxima nequeamus myſteria aſſequi? Nec tamen cõtemnenda eſt eius linguæ cognitio, cùm ad rerum origines explicandas ferè neceſſaria ſit. Sed ad *Iehesu* redeamus. Principio nemo linguæ Hebraicæ doctus negarit, nullũ nomẽ deſinere in he antecedente ו. Quod ſi vel vnũ quiſquam protulerit, vincat. verùm nunquam id faciet, cùm ratio orthographiæ repugnet, quæ præeunte vauſurée in quieſcentibus Lamed he poſtulat, vt he mutetur in Iod. Præterea יהשוה Iehesú nihil ſignificat. Nam cũ Hebraica omnia nomina Thema aliquod habeant, *Iehesu* nullũ habere poteſt, niſi השה haſáh, quod nec vſquã legitur, nec quicquam ſignificat. At dicat aliquis ſignificare literas יהוה *Iehouá*, quę in nomine ſparſæ ſunt. Quid ergo faciemus ש ſcin, quod in medio ſemper ad thema pertinet? Sed confugiet ad Cabbaliſtas, qui cũ præſertim grãmaticæ Analogiæ repugnent, & rem totã incertis cõiecturis frigidíſq; cõmentis tractẽt, audiendi nõ ſunt.

Nec eſt quòd quiſquã Chriſti ſanctiſſimo nomini iniuriam fieri exiſtimet, ſi literas om-

nes Tetragrammati non habeat, quæ paſsim in hominum ignobilium, & plerunque malorum nominibus reperiũtur, nec quicquam tamen continent myſterij, niſi impiè ineptire volumus. Multi enim è veteribus & noſtrę ætatis Iudęis nominantur יהודה, Iuda, quorũ tamen plerique fuere, & ſunt perditiſsimi. atqui in eo nomine ſunt omnes literæ Tetragrammati. Quin etiã in verbis tertiæ cõiugationis, quæ dicitur הפעיל hiphil, frequenter cernuntur concurrere. Multò igitur conſultius, ac magis pium eſt, myſteria non in literis, quod Iudaicum eſt, ſed in ſpiritu, quod veri faciunt Chriſtiani, veſtigare: verúmque Chriſti nomen credere eſſe *Ieſum* ישוע, hoc eſt, *ſalutis authorem*: ſiue etymon, ſiue linguæ Hebraicæ analogiam ſpectes.

CAPVT II.

De omnibus Dei nominibus, & quomodo Arabes & AEthiopes Deum nominent.

POſtulare videtur rei ſeries, vt cætera Dei nomina tam quæ diuinæ nobis literæ tradunt, quàm quibus Iudæi in ſuis commentarijs vtuntur, exponamus. Dei enim eſſentiam humani ingenij anguſtiæ capere non poſſunt. Ex nominibus tamen vtcunque, atque, vt ait Paulus, per ænigma, Dei omnipotẽtiam proſpicere poſſumus. Nã Deũ nemo homo vidit vnquam. Hinc intelligere poſſu-

mus, cùr Deus Exod. 33. Moſi ſe videre cupienti dixerit, והסרתי את כפי וראית את אחרי ופני לא יראו: *Et auferam manum meam, & videbis poſteriora mea: ora autem mea non conſpicientur*. Cùm enim, vt philoſophi docent, duplex ſit ſciendi atque intelligendi Methodus: ÷ Vna, quæ à naturæ cognitis & prioribus ad nobis nota & poſteriora deducitur: altera, quæ eadem via ab vltimis ad prima recurrit: è quibus illa ἀποδείξει, hæc ἐπαγωγῇ colligitur: quis non videt, ora Dei oculis mortalibus cerni non poſſe, hoc eſt, Deum ſub Apodixin non cadere, cùm eo nihil ſit antiquius? At Dei poſteriora intueri poſſunt non omnes, ſed ij tantùm, quibus obumbrantem manum ſuam ſuſtulerit Deus. Quod princeps poëtarum Homerus non ignorauit, apud quem Ilia. έ. Diomedi cum dijs congreſſuro caliginem omnē, vel vt ipſe loquitur, ἀχλὺν ἣ πρὶν ἐπῆεν, Minerua abſtergit. Nam quid aliud, quæſo, eſt *Dei nomina cognoſcere*, quàm *eum in rebus creatis*, quæ diuinę prouidentiæ ſigna ſunt, *contemplari*? Duo enim ſunt in Natura, *Res ipſæ*, & *rerum ſigna*, quæ nomina vocitamus. Plato quidem *nomen* definit Cratylo, ὄργανον διδασκαλικὸν, καὶ διακριτικὸν τῆς οὐσίας, ὥσπερ κερκὶς ὑφάσματος. In Sophiſta *nomen* apertè σημεῖον appellat. Aque hòc maximè inter Deum & hominem intereſt, quòd

illc

ille res per ſe intelligit, hic nihil niſi per ſigna cognoſcere poteſt. Hoc eſt, quod Paulus vocat *AEnigma*: cùm in hac vita rerum ſimulacra quaſi in ſpeculo contemplemur. Hæc res errandi anſam Iudæis præbuit, qui cùm creberrimam diuinorum nominum mētionem audirent, cœperunt ſuperſtitiosè adhibitis Arithmeticis & Geòmetricis proportionibus, acutiſſimè delirare, vel potius cum ratione inſanire: anatomicè literas ſingulas reſecantes, reſoluentes, numerantes. Sed ſomnia ſunt, quæ ſtupidos & vanos delectare poſſunt, prudentibus certè non probantur. Apoſtoli ſanè & Chriſtus ipſe nihil eiuſmodi docuerunt: nam ignoràſſe, vt Iudęi garriunt, ſi tam alta myſteria continent, pijs nefas eſt dicere. Nos igitur non Dei nomina, ſed Deum ipſum adoremus, niſi relicto corpore vmbram conſectari libet. Nam quòd in nomine *Ieſu* omne genu flexum iri Scriptura ait, non de literis aut vocis ſimplicis pronunciatione intelligitur: ſed de virtute, quæ per fidem omnia agit: ad quam certè cultus is, qui audito ſacroſancto nomine *Ieſu*, vel inſpecta veneranda eius effigie à pijs hominibus exhiberi ſolet, præcipuè referendus eſt. Quòd verò magi diuinorum nominum appellatione mira prodigia efficere videntur, id fit Cacodæmonis præſtigijs, qui in ea ſuperſtitione

ſtitione homines retinere cupit. Alioqui ipſe quoque Satan nominibus non mouetur, ſed Act. 19. reſpondet infidelibus exorciſtis *Ieſum cognoſco, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis?* Sed ad propoſitum redeamus, nomináque Dei, quę decẽ ſunt, recẽſeamus. Hîc nihil dicã de ſumma denarij perfectione, qui idem etiã eſt Tetras, & ſupremus omniũ, in quo numeri omnes ſimplices non poteſtate, ſed actu cernuntur: cùm alij omnes hoc nomine imperfecti ſint, quòd ad denarium nõ peruenerint. Hæc inquam, & alia eiuſmodi Pythagoreis relinquimus. Nomina verò hæc ſunt:

1 יהוה Ioua, Tetragammaton, de quo ſuprà dictum eſt.

2 יה Iá, hinc halelu_iá. *κύριος, Dominus.*

3 אל El, *ἰσχυρὸς, Fortis.*

4 אלוה Elóah } *δικαστὴς, ἀρχὸς, Iudex,*
5 אלהים Elohim } *princeps.*

6 שדי ſaddái, *ἄλκιμος, παντοκράτωρ, omnipotens,* vel *αὐτάρκης, ſe contentus.*

7 אדון Adón, אדני, Adonái, *κύριος, δεσπότης, Dominus.*

8 אשר יהיה *ὁ ὤν, Qui eſt.*

9 אלהים צבאות vel יהוה, Adonai, vel Elohim Sabaoth, *Dominus vel Deus exercituum.*

10 עליון Elión, *ὕψιστος, excelſus, ſummus, ſupremus.*

Duo prima à themate הוה *fuit*, proficiſcuntur:

vtrum-

vtrũque tamen redditur, ὁ κύριος, *dominus*. Nõ poſſum hîc prætermittere, quod ſanctiſsimus ac doctiſſimus vir Epiphan. cõtra Anomœos ſcribit ſuper hoc nomine *Iá*. Sunt enim, qui perſonarum in Deo, vt loquuntur, pluralitatẽ ex veteri Teſtamento probari non poſſe contendunt. Contra quos Eſaiæ vaticinium pro ducit, in quo ca.26. diſertè id expoſitum eſt, בטחו ביהוה עדי עד כי ביה יהוה צור עולמים: quæ verba ex Origenis Hexaplis in hunc modum Græcè citat, βετόυ βαδωνάϊ ἀδ' ἄθι, χι βαϊά ἀδωνάϊ σώρ ὠλεμείμ. Et interpretatur, πεποίθατε ἐπὶ τῷ κυρίῳ ἕως αἰῶνος, ὅτι ἐν τῷ κυρίῳ κύριος ὁ στερεώσας τοὺς αἰῶνας. Hoc eſt, *Confidite domino vſque in ſeculũ, quoniã in domino eſt dominus* (id eſt, *In Ia eſt Ioná*) *qui ſtabiliuit ſecula*. Quã interpretationẽ Hebręus nullus labefactare poteſt. Nos Theologorũ prudentum iudicio rem totam cõmittimus. Sed ad rem.

El, *elohim*, & *eloah* frequentia ſunt: *El* à themate איל *fortem* ſonat. *Elohim* iudicibus & magnis viris tribuitur, & angelis, vt quidam putant. *Elóha* aliquando in malam partem accipitur, vt notant Grammatici.

Saddái aliqui compoſitum eſſe aiunt ex ש relatiuo, & די nomine, quod eſt *idoneus*, *ſufficiens*, Græcè αὐτάρκης. natura enim Dei opis haud indiga noſtræ, verè eſt αὐταρκέστατος ac beatiſsima. Cætera facilia ſunt.

Porrò

Porrò Hebræi in commẽtarijs alia decem nomina Deo accommodant.

השם Haſſém, τοὔνομα, *Nomen illud* κατ' ἐξοχὴν, quanquam ſępe addunt יתעלה *extollatur*, vel יתברך *celebretur*.

השכינה Haſſechiná, *habitatio*, qua Dei pręſentiam intelligimus.

המקום Hammacóm, ὁ τόπος *locus ipſe. Dei enim omnia plena*, vt Eſaias, Heſiodus, Aratus, & Virgilius canunt. Nam omnia, vt locus, complectitur, & omnem ipſe locum implet.

Infra c. 12. השמים Haſſamáim, ὁ οὐρανός, *cælum*. Hinc illud, *Baptiſmus Iohannis vtrumne à cælo eſt, an ab hominibus?* Hoc ſecuti fortè Græci poëtæ *Saturni patrem* οὐρανὸν vocarunt, vt Latini *Cælum*.

הקדוש ברוך הוא Haccados Baruch hu, ὁ ἅγιος εὐλογημένος ἐκεῖνος, *ſanctus ille & laudatus*.

הגבורה Haggeburá, τὸ κράτος, *ſumma poteſtas*: vt imperatorem Antoninum Oppianus appellat γαίης ὕπατον κράτος.

רבונו של עולם Ribbonó ſel Olam, ὁ κύριος τοῦ αἰῶνος, ἢ τοῦ κόσμου, *Dominus ſeculi, mundíue*.

מלך העולם Melech Haolám, βασιλεὺς τοῦ αἰῶνος, ἤτοι ἀΐδιος *Rex ſeculi, vel ſempiternus*, vt Galli Deum vocant *Æternum*.

אבינו שבשמים Abinu ſebbaſſamaim, πατὴρ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *Pater noſter qui eſt in*

cælis,

cælis, vel cæleſtis, ne terreſtrem ſomniemus.

רחמנא Rahmaná, ὁ ἐλεήμων, *Miſericors.*

Cæterùm apud Arabes hæc obſeruaui Dei nomina, quæ literis Hebraicis exponemus, quando characterum Arabicorum copia non eſt.

אללה Allá, vel Illé, vt Pœni pronunciant ὁ κύριος, *Dominus.*

אלרב Arabb.

קריר עלי כל שאין Cadír alé cullí ſciáin, *Potens ſupra omnē rem, omnipotens,* παντοκράτωρ.

אלרחמן אלרחים Arrahmán arrahím, ἤπιος καὶ ἐλεήμων, *mitis & miſericors.*

Allá componitur ex articulo al, quod eſt ὁ, & pronomine lah, id eſt, ei: nomen ergo ſignificat, eum, cuius omnia ſunt, qui omnia habet. Id Hebraicè diceretur אשר לו Aſcér ló, vel vno verbo שלו ſcelló. Hoc etymon mirificè conſentit cum verſione Septuaginta, qui locum illum Gen. 49. in vaticinio Iacobi de Chriſti aduentu, *Non auferetur ſceptrum à Iuda, nec legiſlator è medio pedum eius, donec veniat qui mittendus eſt:* ſic reddunt, ὧ τὰ ἀποκείμενα, *ille cui ſunt repoſita,* omnia videlicet. Hebraicè ſcribitur עד כי יבא שילה. Quod Onchelus vertit משיחא דדילה היא מלכותא, Meſſias, cuius eſt regnum. Vtrique legerunt שלה ſcelló, id eſt, אשר לו. Nā ה ponitur pro vau, vt mox עירה, & כותה pro עירו & כותו.

Locus Geneſis 49. expoſitus.

Sic

Sic Deut. 34. לחח pro לחר. Noſter interpres legiſſe videtur heth, nec tamen video, cur interpretari potuerit, *Qui mittendus eſt*: niſi fortè legit שלח. Mihi tamen שלר, quod Septuaginta & Chaldæus paraphraſtes ſecuti ſunt, magis placet. Id ènim multò melius eſt, quàm Siló oppidum frigida planè abſurdáque ſententia accipere. Nam quod quidam Hebræi ſomniant Sil filium eſſe, vt ſit, *Donec veniat filius eius*: quanquam plauſibile videtur, cùm coniectura tantùm nitatur, non probo. Illud verò שלר Chriſto optimè congruit, cui *data eſt poteſtas omnis in cælo & in terra*, vt Scriptura teſtatur.

Nomina, quibus Deum appellant Æthiopes, hæc ſunt,

אמלך Emlác.

אגזיא Eghzía.

אגזיאבחר Eghziabhér.

Vbi nemo miretur duo Seuain initio ſcribi: quod cum Hebraica orthographia nō recipiat, Æthiopica familiariter vſurpat.

Emlác, ὁ βασιλεὺς, *Rex ille*: quod mihi ab Hebræis mutuati fuiſſe videntur, qui regem *Melech* vocant, qui Æthiopicè nominatur נגוש Negús.

Eghzia, אדון, ὁ κύριος, *Dominus*.

Eghziabhér componitur ex *Eghzia* domino, *Ab* patre, *her* bono: quod eſt *dominus*

pater

pater bonus: vt illi Æthiopes, qui Romæ habitant, interpretantur.

CAPVT III.

De צעיר *ſair apud Micheam, &*, Nequaquam minima es, *apud Matthæum*.

ADMONVIT me hoc loco Euangelij ordo, & rei difficultas, vt de cõtrouerſo illo atque perplexo loco Matthæi, quo Micheæ vaticiniũ adducitur, aliquid diceremus: cùm vt ſcrupulum moleſtiſſimum, qui maximos ac doctiſſimos viros torſit, ſi fieri poſſet, eximeremus: tum etiam vt D. Hieronymi authoritatem, quanquam is nec noſtro, nec mortalis cuiuſquam patrocinio indiget, tueremur: quam omnibus admotis machinis quidam labefactare atque euertere conantur. Sic enim agunt, vt inuidioſa Hieronymi cum Euangeliſta Matthæo collatione propoſita, illum potius, quàm hunc, lapſum eſſe credamus. Ac neminem quidem eſſe arbitror, qui non plus Matthæo tribuat, quàm Hieronymo: non tamen propterea erraſſe eum hoc loco perſuaderi nobis poterit. Nam mancum & imperfectum eſt Oſiandri argumentum, quo neceſſariò vel Matthæum, vel Hieronymum hallucinatum fuiſſe colligit: nos neutrum erraſſe planiſsimè oſtendemus.

Vt longè ſincerius & cãdidius fuerit dicere, *Neſcio*, quàm cõtra Chaldæum paraphra-

C ſten,

ſten, Hebræos omnes, & poſtremò D. Hieronymum, incertam & commentitiam, atque, vt probabimus, falſam interpretationem confingere. Nec erat, ſi vera narraſſet, cur inuidiam & calumniatrices obtrectationes reformidaret. Veritatem enim, quæ initio premitur inuidia, Æſchyli Tragici exemplo, τῷ χρόνῳ ἀνατιθέναι δεῖ, *Tempori* nempe *conſecrare oportet.* Vt contrà, commenta aliquandiu ſpecie veritatis ſe venditantia, ad extremum conuincuntur mendacij. Sed ad rem redeamus. Primùm tamen omnes rogatos volumus, vt rem ipſam potius, quàm perſonam inſpiciant, atque ita ſententiam noſtram legant, vt à nobis hæc omnia dici ſibi perſuadeant, quò literarum Hebraicarum vtilitas elucеſcat, & iudiciorum temeraria præcipitatio cohibeatur. Ac primò verba prophetæ Mich. proponamus, qui cap. 5. in hunc modum ait, ואתה בית לחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיית מושל בישראל: Quæ D. Hieronymus ſic reddidit Latinè, *Et tu Beth-léhem Ephratha paruulus es in millibus Iuda. ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël.* Chaldæus autem paraphraſtes hoc modo, ואת בית לחם אפרתת בזעיר הויתא לאתמנאה באלפיא דבית יהודה מנך קדמי יפק משיחא למהוי עביד שלטן על ישראל: hoc eſt, *Et tu Beth-léhem Ephratha*

ferè

ferè paruulus es, vt recēſearis inter Chiliadas domus Iuda. Ex te mihi prodibit Meſias, vt fiat imperator ſuper Iſrael. Matthæus autem ſententiam potius, quàm Prophetæ verba conſiderans, vt qui ſciret diuina myſteria non in ſyllabarum ſuperſtitioſa enumeratione, ſed in ſententiæ eiuſdem, quanquam verbis paululum immutatis, concordia poſita eſſe, ſic expoſuit, cap. 2. Καὶ σὺ βηθλέεμ γῆ ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν ἰούδα. ἐκ σοῦ γὰρ μοι ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν ἰσραήλ. Quod Latinè eſt, *Et tu Beth_lèhem terra Iuda haud quaquam minima es inter duces Iuda. Ex te enim mihi egredietur dux, qui reget populum meum Iſrael.* Hic diuino prorſus conſilio Euangeliſtam poſtrema prophetæ verba; *Et egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis*, cùm Chriſti diuinitatem atque æternitatem diſertiſſimè loquantur, prætériſſe videmus. Nempe quia ad rem non faciebant: cùm non quis, quantúſue Chriſtus foret, ſed vbi naſci deberet, quæreretur. Præterea pro *Ephratha*, vertit, *terra Iuda*, quoniam dilucidior narratio futura erat. Tum pro *chiliadibus* vel *millibus* (quod Hebręi tantùm intellexiſſent, apud quos populus per chiliades oppidatim diſtruebatur ſub ſuo Tribuno, vt Gedeon oſtendit, cùm Iud. 7. Deo reſpondet, אלפי הדל במנשה, *Mea*, inquiens,

 Chilias

Chilias inter Manaſſeas tenuiſsima eſt) ſcripſit, *Duces*: quod facilè omnes intelligunt. Illud verò, *qui ſit dominator in Iſraël*, fuſius explicauit, *Dux qui reget populum meum Iſrael*. Vbi ergo ſunt, qui Euangeliſtis obganniunt, quòd perperam verba prophetarum citent, ſi vel vna ſyllaba inuerſa fuerit? Qui mihi Iudaica ſuperſtitione, non Chriſtiana libertate delectari videntur.

Nunc cur, quóque modo, aiête Propheta, neget Euangeliſta, cùm idem vterque ſentiat, aperiendum eſt: ſi prius Oſiandri cõmentum confutauerimus. Is enim, vt Hebraicè ſolus ſcire videatur, verbum צעיר ſaír, id eſt, *paruulus*, in quo totus controuerſiæ cardo vertitur, contra omnium, vt ipſe quoque fatetur, ſententiam, interpretatur, *Parum eſt*, hoc modo, *Et heus tu Bethlahema ephratha, parum eſt vt ſis inter Chiliadas ſeu Chiliarchos Iudæ*, &c.

Quam interpretationem ſi abſurdã & falſam eſſe oſtẽderimus, alia quęrẽda nobis erit.

Principio non eſt idem, *parum eſt vt ſis*, & *haudquaquam es*: quod omnes vel mediocriter docti facilè dabunt. Tum conſtanter aſſerimus צעיר ſaír in lingua Hebraica nunquam ſignificare *parum* : ſed *paruulum* vel *minorem*, præſertim ætate vel dignitate: quomodo Arabicè עביר çaguer dicitur cũ Aain notato vnico punctulo, idémque eſt prorſus, quod

quod Hebraicum צעיר, vt Hiſpani intelligũt, qui paruum vel non primogenitum *el caguero* vocitant. Verùm, *parum*, Hebraicè dicitur מעט meát. Cęterùm, ne id comminiſci videamur, proferamus locos omnes Bibliorum, vbi legitur צעיר ſaír, vt etiam curioſis ſatisfiat.

Vocabulum hoc viginti & vno tantùm locis in vtroque genere reperitur.

De filia minore Lot, Gen. 19. ter legitur הצעירה hacceirá. De Iacob, 25. *Et maior ſeruiet* צעיר ſaír *minori*. De Rachel, 29. Quæ minor natu, quàm Lea erat, legimus הצעירה, haſſeirá. De filijs Iacob minoribus natu, 43. צעיר ſaír. De Ephraím, 45. qui minor natu erat ipſo Manaſſe, הצעיר haſſair. De eo, qui dirutam Ierichuntem reficeret, cui imprecatur Scriptura, Ioſ. 6. & 3. Reg. 16. Vt in primogenito iaciat vrbis fundamẽta, & בצעירו biſiró *in natu minimo portas erigat*. De Gedeone, Iud. 6. qui ait, *Ego* הצעיר haſſáir *natu minimus in domo patris mei ſum*. De Saul, 1. Reg. 9. qui inquit, *Et cognatio mea* הצעירה haſſeira *minima eſt (dignitate ſcilicet) inter omnes cognationes Beniaminiarum tribuum*. Iob, 30. loquitur, צעירים ſeirim *minores me diebus vel natu me rident*. Et Elihu, Iob. 32. צעיר Sair, inquit, *minimus natu ſum*. *Beniamin*, Pſalm. 48. ſair *natu minimus regit eos*. צעיר, Pſalm. 119. ſair *Paruus ego ſum & deſpicabilis*. *Paruus eua-*

 det

det in mille, Eſa. 60. *&* הצעיר *minimus in gentem potentem.* & Iere. 14. *potentes eorum miſerunt* צעירהם ſeirehem *paruulos ſuos ad aquas. Euerſa eſt Moab,* Ierem. 48. *& clamorem ſuſtulerunt* צעיריה ſeireha *paruuli eius. Niſi lugent eos* צעירי ſeire *paruuli gregis,* Ierem. 49. צעיר *Paruulus es in millibus Iuda,* Mich. 5.

Et Zach. 13 *referam manum meam ad* צערים ſoarim *paruulos,* vel *non primogenitos.*

Hi ſunt loci omnes, in quibus hoc verbum legitur. Proferat ergo Oſiander, aut alius quilibet vel vnum locum, vbi ſaír accipiatur pro *parum,* & triumphum agat.

At, dicat aliquis, iſtud non eſt nodum ſoluere, ſed nectere perplexius.

Diſpiciamus itaque qua ratione aientem prophetæ propoſitionem cum negante Euãgeliſtæ componamus. Quod planius percipietur, ſi ſuperiora Prophetæ verba repetamus. In eo enim maximè errat Oſiander, quòd poſteriorem orationis partem prioris rationem eſſe putat. Cùm apud Prophetam non αἰτιολογία ſit, ſed ἐναντιωματικῶς dicatur, vt perſpicuè apparebit.

Propheta cùm ſuprà de Iudæorum exilio, de reductione eorum, atque Babyloniorum clade & excidio copioſè locutus eſſet, poſtremò cap. 5. ait.

Nunc vaſtaberis filia Turmæ (id eſt, *Babylon bellicoſa*

bellicoſa, *vel*, vt quidam volunt, *Ieruſalem*) *quæ obſidione nos cinxit*, *virga pulſarunt mālam iudicis Iſrael. Et tu Beth‿lehem Ephratha minimus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael.*

Hic nemo non videt vrbis potentiſsimæ, ſiue ea *Babylon*, ſiue ſit *Ieruſalem*, collationem cum obſcuro atque ignobili oppido à propheta proponi.

Tu, inquit, *Vrbs potentiſsima euerteris*, *idque propter tua flagitia, quòd obſidione nos cinxeris*, *& iudicis Iſrael mālam baculo pulſaueris. Tu autem Beth‿lehem minimus quidem es*, *Vel minimum atque obſcuriſsimum oppidum in Chiliadibus Iuda: ex te tamen naſcetur Chriſtus. Deus enim deturbat potentes de ſede*, *& extollit abiectos*. Hanc veram ac germanam eſſe Prophetæ ſententiam nemo communi ſenſu præditus, & in ſacris literis vel mediocriter verſatus, negauerit. Sed illud oſtendamus oportet, cur Propheta non addiderit, *Tamen*, quod nos intelligendum eſſe aſſerimus tam ex ipſa ſententiæ conſecutione, quàm è ſermonis Hebraici proprietate: qui particulas quaſdam interdum omittit, quæ tamen ad ſententiam, ſi in aliam linguam vertantur, omnino faciunt. quod vno aut altero exemplo commonſtrandum eſt. Dauid loquitur, Pſal. 119. ogd. 18. צר ומצוק מצאוני מצותיך,שעשעי

Micheæ locus explicatus.

Anguſtia & ærumna inuenerunt me, præcepta tua deliciæ meæ ſunt. Vulgata. *Tribulatio & anguſtia inuenerunt me, mandata tua meditatio mea eſt.* Quis hîc non videt addendum eſſe, *Tamen*? Contrà, ſi quis addat, *Quia*, vt in Propheta facit Oſiander, impia erit ſententia: nec enim Dauidi ob ſeruata Dei præcepta quicquam aduerſi obtigit. Mox idem ait, רבים רדפי וצרי מעדותיך לא נטיתי, *Multi ſunt inſectatores mei & aduerſarij mei, à teſtificationibus tuis non declinaui.* Vulgata: *Multi qui inſequuntur me & tribulant me; à teſtimonijs tuis non declinaui.* hîc iterum intelligendũ, *Tamen*.

Expoſita Prophetæ ſententia, Euangeliſtæ verba perpendamus. Ille enim ita ſcribit, *tu es minima, Tamen ex te prodibit Chriſtus*: hic verò ait, *Tu haudquaquam minima es: ex te enim exibit Chriſtus.* Quæ duæ orationes idem prorſus loquuntur. Niſi quòd Euangeliſta, qui illius collationis Propheticæ priore parte non indigebat, nec erat cur de Babylone vel Ieroſolymis loqueretur, poſteriorem partem, quæ ad rem faciebat, dilucidius quàm Propheta explicauit, addita ratione: Propheta idem ſentiens alio modo orationem diſpoſuit, ſed paulò obſcurius. Hanc interpretandi rationem adeò veram eſſe credo, vt neminem tam impudentem aut præfractum eſſe exiſtimem, qui eam audeat conuellere.

Alio-

Alioqui ἐφίημι οὐκ ἐπὶ τὸν καίσαρα μὰ Δία, ἀλλ᾽ ἐπὶ τὸν χρόνον, quod Cæſare longè eſt potentius. Vbi ſunt ergo qui è muſca elephantū faciunt,& Euangeliſtarum authoritatem,quę omnibus ſacroſancta eſſe debet, ex vno verbulo in diſcrimen adducunt? Vbi ſunt qui nō tam Euangeliſtarum amore, quàm odio Patrum, illorum defenſionem cum horum accuſatione coniungunt?

CAPVT IIII.

De Hoſanna.

INuitat nos celeberrima in Euangelio vox *Hoſanna*, vt rei originem paucis exponamus, in qua ſibi adeò placet Oſiander. Cui quidem non refragaremur, niſi loci obſcuritas nos propemodū cogeret,quę neſcio quos ſic delirare fecit,vt interpretarentur, *Hoſanna fili ô Dauid*: vt eſſet caſus vocandi.

Habet enim hæc res controuerſiæ aliquid, quæ exponenda ac componenda eſt. Aliter enim vox hæc apud vetuſtiſſimos Hebræorum ſcriptores accipitur: aliter intelligitur à recentioribus in precationum libello, quem ſecutus eſt Oſiander. Qui rectè ait in feſto tabernaculorum cani à Iudæis litanias quaſdā, populo identidem reſpondente, *Hoſanna*. Quodam enim loco ſic ſcribitur,

בהושעת אלים בלוד עמך

בצאתך לישע עמך

בן הושענא:

Vbi proculdubio *Hoſanna* ſignificat, *Serua quæſo*, vel *Salua nunc*.

Sed ſi hoc recipimus, vt nobis author eſt Oſiander, quomodo, quod in Euangelio legimus de voce turbæ clamantis, *Hoſanna filio David*, aptè exponemus? Nam Græcè ſic ſcriptum eſt, καὶ οἱ ὄχλοι οἱ προάγοντες καὶ οἱ ἀκολουθοῦντες ἔκραζον λέγοντες, ὡσαννὰ τῷ υἱῷ δαβίδ. *Et turbæ præeuntes & ſequentes clamabant dicentes, Hoſanná filio David.* Si enim, *Hoſanna* ſignificat, *ſalua quæſo*, quid erit, *Salua quæſo filio David?* Atque hunc nodum, quod ſciam, nemo hactenus ſoluit. Non nego apud Hebræos eſſe precationem, quæ dicitur הושענא גדולה *Hoſanna magnum*: ſed quæro quomodo intelligendum ſit, *Hoſanna filio David*. Iudæorum quidem recentiorum, qui ſuam linguam non intelligunt, authoritas Chriſtianis magni facienda non eſt. Videamus itaq; quid *Hoſanna* apud priſcos Iudæos, quorum plerique Chriſti ętate vixerũt, ſignificet. Sed prius oſtendendum eſt vocabulum hoc Hebraicũ eſſe non poſſe, ſiue nomẽ ſit, ſiue verbum. Ac nomen quidem Hebraicum non eſſe, vel qui primoribus labris Hebræorum fontes deguſtarint, facilè concedent. Aleph enim vltimũ planiſsimè id nos docet, quod in hac voce ad thema non pertinet: cùm, ſi Hebraicũ nomen eſſet,

eſſet, neceſſariò in themate futurum fuerit. Verbum verò quî quæſo erit, ſi analogiã modò ſeruare volumus? נא *Na* enim cum Hebraicis verbis nunquam componitur, præſertim cùm ratio coniugationis poſtulet הושע vel הושיעה Hoſea vel Hoſiah, vt in Pſalmis legimus. In Ieremia tamen cap. 31. legimus, הושע יהוה את עמך Hoſá Iehoua eth ammecha. *Salua Domine populum tuum.* Dixerit hic aliquis corruptum eſſe, vel potius per ſyncopen contractum, vt Elias docet. Ait enim ex הושיעה נא hoſiáhná, quod crebrò canebant Iudæi in feſto tabernaculorum, factum eſſe breuitatis cauſa הושענא Hoſanna, quod mihi non diſplicet.

Nec eſt quod quidam, qui vix Hebraica eleménta callent, verbum Euangeliſtarũ *Hoſanna*, in *Hoſianna* mutent. Addit enim Elias hanc rationem, vt vnam vocem eſſe intelligamus: quòd faſciculos ſalicum fluuialium ob crebras Iudæorum vociferationes, qui identidem reſponſabant *Hoſanna*, iam vocent omnes *Hoſannas*. Quod mirificè cum Thalmudicorũ vſu cõſentit, qui vt in myſterijs plumbei ſunt, ſic linguæ ſuæ proprietatem atque elegantiam accuratè ſeruant. Audiamus ergo quomodo in Thalmud vocabulum hoc accipiatur. In perec Lulab haggazul ſic legimus, אמר להו רבא להנהו דגרלי הושענא רבי

ריש גלותא כי גדליתו הושענא עבדו להו בית יד: *Dixit Rabbi illis, qui nectunt Hoſannam domus AEchmalotarchæ, vel principis exulum (is erat inſignis quidam Iudæus) cùm nectitis Hoſannas, facite eis manubrium.*

Mox etiam ſcribitur, אמר רבא לא לגוז אנש ללבא בהושענא, *Dixit Rabba ne decacuminet quiſquam ſpatulam vel ramum palmæ in Hoſanná.* Nemo hîc non videt *Hoſanna* pro vno ac ſimplici nomine vſurpari, quod omnes Gloſſographi *ſalicem* ſignificare vno ore aſſerunt. Porrò quoniam ſalices paſſim inueniuntur: cedri, palmæ, myrtíque non item, obtinuit vſus;

Quē penes arbitriū eſt, & vis & norma loquēdi,

Vt omniū arborū rami, quos in feſto Scenopegion Hebræi geſtabant, ſubinde clamantes Hoſanna, id nomen nanciſcerentur. Quod etiam in ſecundo Thargum Eſtér, ca. 3, ſcribitur ועברין להון הושענא, *Et faciunt ſibi Hoſanna:* & mox, והדרין בהושענא, *Et circumeunt cum Hoſanna*, vbi apertè intelligitur ſalicum, aliarúmue arborum faſciculus.

Vt etiam Galli in feſto palmarum, cùm propter cæli intemperiem oleas, cedros, myrtóſue non habeant, buxeos ramos geſtare ſolent. Iam itaque intelligi poteſt, cur turbæ Chriſtum aduentantem hoc elogio exceperint, fatentes ſe *Hoſanna*, hoc eſt, ſalicum, palmarum,

marum,aliarumque arborum ramos ferre filio Dauid,eumque Deum ac Meſſiam agnoſcere: quod tātopere Phariſęos offendit. Quādoquidem hæc vox Deo ſoli conuenit: non, vt quidam ſomniant, eſt ſalutatio, qua reges Iudæi compellabant, vt illa vulgaris, *Viuat rex*. Vox itaque, ſi etymon quærimus, ſignificat *ſalua nunc*, vel *ſalua quæſo*, quod Græci dicunt, σῶσον δή. Vſus verò nominis de ſalice, aliiſque arboribus, quarum ramos, Leu. 23. geſtare iubentur Hebræi, intelligitur.

Vtrunque optimè conuenit Chriſto Dei filio, quod Deo tribuebant Hebræi. Nam & rectè clamamus *Hoſanna*, vt nos ſaluet, qui ſalutis ſolus author eſt: rectè etiam manibus geſtamus *Hoſanna filio Dauid*, vt victorem ac triumphantem ouantes ipſi comitemur.

CAPVT V.

De Amen.

Receptū in primitiua Eccleſia fuiſſe Paulus 1.Cor. 14. oſtendit, vt populus poſt recitatas preces reſponderet, *Amen*, quod neminem rectè dicere ait, qui preces non intellexerit. Cui valdè conſentanea ſunt, quæ in libris Thalmudicis leguntur. Sed prius explicādum, quid ſignificet *Amen*, quod Septuaginta vertunt, γένοιτο, *fiat*. Nonnulli interpretātur, *confirmetur, ſtabiliatur*, quaſi יאמן, reſecta prima litera, quæ ad thema non pertinet.

Quod

Quod ſi recipimus, dura erit verborum illorũ ſententia, *Amen amen dico vobis*. Mihi quidẽ eſſe videtur aduerbium affirmãtis, verè, quod addita paragoge he dicitur אמנה. Symmachus rectè vertit πεπιστωμένως.

Thalmudici itaque ſuorum hominũ ſomnolentiam carpẽtes, triplex dicunt eſſe *Amen*, יתומה Iethoma *pupillum*, חטופה *ſurreptitium*, & קטועה *ſectile*. Nam in Maſſécheth Berachóth Pérec ellu debarim, ſic legimus, איזו היא אמן יתומה רב הונא אמר הן הן המחיב לברכה ולא ידע מה הוא עני חטופה שחטף ואמר אמן קדם שתכלה הברכה קטופה שקטף לשנים:

Quódnam eſt Amen pupillum? Rab Heuna ait, Eſt cùm quis precatione tenetur, nec intelligit, quod reſpondet. Surreptitium, cùm ſurripit, & dicit Amen, antequam abſoluatur precatio. Sectile, cùm ſecat in duas parteis, nempe oſcitãter audiens, & alias res agens.

Præterea in Maſſécheth Succá ſcriptũ eſt, בימה של עץ באמצע וחזן הכנסת עומד עליה לקרות בתורה והיה הממנה מניף בסודרין והן עונין אמן:

Suggeſtus ligneus in medio erat, & lector Synagogæ in eo ſtabat, vt legem recitaret. Porrò Synagogæ præfectus ſudarium circumagebat, & ipſi reſpondebant, Amen.

Is enim mos diu permanſit in Eccleſia, vt

populus frequens preces & cætera, quæ in eccleſia recitabantur, audiret, tum reſponderet *Amen*. Quod facit populus Iſraël, Deut. 27. Moſe Dei mandata exponente. Atque vtinã noſtri quoque homines in Eccleſia *Amen* nõ *pupillum*, non *furtiuum*, non *ſectile*, ſed legitimum ac pium reſponderent. Sic enim fieret, vt & attentius ſacra verba audirentur, & intelligerentur exactius. Sed de his hactenus.

CAPVT VI.

De Rabbi, Rabboní, & cæteris.

FRequentiſſimum eſt in Euãgelijs hoc vocabulum: ſed quoniam vetat Chriſtus, ne quis vocetur *Rabbi*, nec *Pater*, explicanda eſt huius rei ratio, quæ certè intelligi non poteſt niſi è libris Thalmudicis. Legimus enim in Euangelio *Abá, Rabbí, Rabboní*, & apud Paulum *Marán*. In Thalmud hæc omnia repeꝛiuntur, & prętereà *Rab*, *Rabbán* vel *Rabbaná*, & *Abai*, quæ omnia ſunt nomina dignitatis. Ac primùm agemus de *Rabbon* רבון, & מרן *Maran*, quę ſoli Deo propriè tribuuntur.

Rabbon Syriacum verbum eſt, dominum nõ quemlibet ſignificans, ſed qui αὐτοκράτωρ eſt, vel, vt Iuriſconſulti loquuntur, *qui merum habet imperium*.

Hebræi in commentarijs, & Miſná ſiue Deuteroſi ſcribunt רבון ribbon, vt illud creberrimum dictum oſtendit, רבונו של עולם;

dominus

dominus mundi, quo Deum deſcribunt.

Quæ enim Hebraicè initio habent i, ea Syriacè cum a pronunciãtur. Quod dilucidè cernas licet in *Mariam*, quæ Hebraicè dicitur *Miriam*. Et *Migdal* Syriæ oppidũ, Syriacè eſt *Magdal*, vt Herodotus docet, qui *μάγδαλον* ſcribit. Sic quod Hebræi dicunt *Ribbon*, Syri *Rabbon* pronunciant. Propterea Maria Magdalene Syriacè Chriſtum, qui iam reſurrexerat, ſalutauit *Rabboní*, hoc eſt, *mi Domine*: Deũ ſcilicet agnoſcens, cùm ante mortem nemo eum vocauerit *Rabboní*, ſed *magiſtrum*, id eſt, *Rabbí*, & *dominum*, hoc eſt *Mará*.

Sic *Maran*, quod eſt *dominus noſter*, Deo tantùm accommodatur. Hoc tamen intereſt inter *Rabbon* & *Maran*, quod illud ſonat *κύριον*, hoc *δεσπότην*: illo intelligimur filij, hoc ſerui. Vt pater filiorum ſuorum *κύριος* eſt, ſeruorum *δεσπότης*.

Hinc Paulus cùm ſolennia anathematis verba pronunciat, Syriacè dicit, מרן אתה Maran athá, *Dominus noſter (cuius ſcilicet ſerui ſumus) venit*. Id Hebraicè ſcribendum fuerat ארנבו בא.

Cęterorum nominum ratio in libris Thalmudicis expoſita eſt. Rabbi Nathan inſignis doctor, ea ſic colligit, רבי מחכמי ארץ ישראל הסמוכין שם בסנהדרין שלהם דאמרין לעבין סמיכות וקבימו דסמכין לה וקרו לה רבי ווהבין הל

לה רשותא למרן דיני קנסות. ורב מחכמי בבל הסמוכין בישיבות שלהן והדורות הרא-שונים שהיו גדולים מאד לא היו צריכין להדרכם לא ברבן ולא ברבי ולא ברב אלא בשמא גדירא לחודה: Quorũ verborum hæc eſt ſententia, *Rabbi tribuitur ſapientibus terræ Iſrael, quibus impoſita fuit manus illic in cõcilijs eorum: quod dicunt propter impoſitionem manuum ſeniorum, qui imponunt alicui manum, & vocant eum Rabbi, quod eſt Magiſter mi, & faciunt ei poteſtatem cognoſcendi cauſas mulctatitias.*

Rab autem eſt ſapientum Babyloniæ (Rabbinorum ſcilicet exulum) quibus impoſita eſt manus in ſcholis eorum. At homines Priſcæ ætatis, qui maximi erant ac præſtantiſſimi, non opus erat vt magiſtrarentur per Rabbán, quod eſt magiſter noſter, nec per Rabbi, nec per Rab, ſed ſolo ac ſimplici nomine appellabantur.

Alio etiam loco legitur, גדול מרב רבי וגדול מרבי רבן וגדול מרבן שמו: Hoc eſt, *Rabbi maior quàm Rab, & Rabban maior quàm Rabbi, maior tamen quàm Rabban, eſt qui ſimplici nomine appellatur.*

Et alibi, מר מחכמי ראשי הגליות שבבבל ורבנא מחכמי בית דוד אבי ואבא מחכמים וזקנים: Quod eſt, *Mar*, id eſt, dominus *tribuitur ſapientibus AEchmalotarchis* vel principibus exulum, *qui ſunt in Babylonia.*

Rabbana dominus noſter, ſapientibus domus

David Abâi & Abá, hoc eſt, Pater mi, & Pater, *ſapientibus iam ſenibus.*

Ex his facilè horum nominum ratio atque ordo cognoſci poteſt: & mos præterea manuum impoſitionis, qui hodie quoque apud Hebræos ſeruatur in Rabbinorum, vt vulgo loquuntur, promotione. Hinc etiam cernere licet, cur interdicat Chriſtus, ne quis nominetur *Rabbí*, nec *Pater*. Vnus enim eſt verus *Rabbí*, magiſter & doctor noſter Ieſus Chriſtus: Vnus *pater*, à quo adoptati fratres Chriſti eius merito efficimur.

Nec velim quiſquam hæc à me in alicuius ordinis contumeliam dici putet, cùm authoritatis conciliandæ cauſa, ne paſſim omnes vel inſulſa, vel impia tradant, neceſſaria propemodum in Eccleſia ſit dignitatis ac titulorum vſurpatio.

CAPVT VII.

De Raca, Mammona, & Concilio.

DIu ac multùm magnos etiam Theologos exercuit locus ille Matth. 5. de *Raca* & *Concilio*: qui ad mores Hebræorum & publica iudicia pertinet, vt ex eorum libris debeat explicari. Sed præſtat Euangeliſtæ verba proferre in medium.

Audiſtis, inquit Chriſtus, *quòd dictum eſt antiquis, Non occides. Qui verò occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico vobis, quòd omnis*

qui

qui iraſcitur fratri ſuo temerè, obnoxius erit iudicio: Et quicunque dixerit fratri ſuo Racá, reus erit Concilio. Qui autem dixerit fratri ſuo Fatue, reus erit gehennæ ignis.

Hîc conſiderandum eſt quid ſit *Iudicium*, quid *Concilium*, quod Græcè eſt συνέδριον, quid *Racá*, & poſtremò cur dixerit, *Audiſtis*. Nam cùm quaſi delictorum gradus conſtituerit Chriſtus, vt grauius peccet qui dixerit *Fatue*, quàm *Racá*, quærenda eius rei ratio eſt. Porrò vt hæc omnia, quæ ad Hebræorum mores pertinent, planius intelligi poſſint, de iudiciorum ratione paucis agendum eſt. Ea verò depromi non poteſt, niſi è libris Thalmudicis, in quibus iura omnia humana & diuina Iudęorum expoſita ſunt.

Extat itaque in Thalmud Maſſécheth סנהדרין, id eſt, συνεδρίων vel conciliorum. Quod ita eſſe qui Gręcè & Syriacè ſciunt, facilè concedent. Solent enim Græca verba in Thalmud & commentarijs alijs, præſertim vbi Hebraicum non reperitur, vſurpare, vt illa oſtendunt, קפלין καπηλεῖον caupona, אסרין ἀσσάριον Aſſis, אנטיפתא ἀνθύπατος pro conſule, הגמון ἡγεμὼν Dux, סנקליט σύγκλητος Senatus, טרקלין τρικλίνιον triclinium, פרהסיא παῤῥησία liberè, עמילן ἄμυλον Amylum, הדרדרלוס ὕδραυλος hydraulus, aliáque ſexcenta, quæ afferre poſſem. In quibus accuratè

Græcæ ortographiæ ratio ſeruata eſt, vt apparet in ἡγεμων, παῤῥησία, & συνέδριον: vt ne accẽtum quidem denſum præterire voluerint.

In eo igitur libro Synhedrion, quæ à iudicum conſeſſu id nomen inuenerunt, legimus Iudiciorum genera duo eſſe, quorum vnum vocãt דיני ממונות Dinè Mamonóth, alterũ דיני נפשות Dine Nephaſóth, id eſt, *Iudicia pecuniarum, & iudicia animarum:* Latini Iurecoſulti *iudicia pecuniaria, & capitalia* vocarent. Porrò Iudicum claſſes tres ſunt, Prima dicitur בית דין של שלשה, Beth Din ſcel ſceloſciá, *domus iudicij triumuirum*, ad quam minores cauſæ, vt furti, iniuriarum priuatarum, malæ tractationis, ac denique Dine Mamonoth deferebantur.

Secunda appellatur בית דין של עשרים ושלשה, Beth din ſcel eſcrím vſcloſciá, *domus iudicij vigintitriũ*, vel סנהדרי קטנה ſynhedrí quetanná, *Synhedrion paruum*: in quo cauſæ maiores, nempe capitales, cognoſcebantur.

Tertia ac pręcipua, inſtar Atheniẽſis Areopagi, nominabatur בית דין של שבעים ואחד Beth din ſcel ſcibín veehád, *domus iudicij Septuaginta vnius*, vel סנהדרי גדולה ſynhedrí ghedolá. *Synhedrion magnum*, in quo cauſæ grauiſſimæ, quę pertinebant ad ſummã Reip. aractari ſolebant. Nam ſic eodem capite ſcriptum eſt, אין דנין לא את השבט ולא את נביא חשקר

השקר ולא את כהן גדול אלא על פי בית דין
של שבעים ואחד: Id eſt. *Non pronunciant iudicium de Tribu, nec de pſeudopropheta, nec de ſummo ſacerdote, niſi de ſententia curiæ Septuaginta vnius*, vel τῶν ἑβδομήκοντα

Nam hæ cauſæ omnes, nempe totius tribus, pſeudoprophetæ, ſummíque ſacerdotis, magnæ ſunt, quæque ad Reip. ſtatum ac dignitatem ſpectant. Cęterùm Septuagintaunus illi Iudices ſiue Synhedri, quorũ Synhedrion Ieroſolymis tantùm ius dicere poterat, alia parua Synhedria vigintitrium, vel triumuirũ in alijs Tribubus conſtituebant, bella decernebant, vrbem dirutam reficiendam locabãt, réſque omnes publicas adminiſtrabãt. Quod Ioſephus in Antiquitatib. apertè docet, li. 14. cap. 17. Cùm enim Herodes cædis poſtulatus eſſet, quòd Ezechiam prædonum ducẽ occidiſſet, cùm Galilęæ prętectus eſſet, perſonámque publicam ſuſtineret, Ieroſolyma accitus eſt, vt in Synhedrio cauſam diceret. Nam maior erat, quàm quæ à priuato iudicio diiudicari poſſet. Ipſe porrò Herodes rerum potitus, Synhedros omneis, præter vnum Sameam, interficiendos curauit.

Ex hoc loco perſpicuè cognoſci poteſt, quid ſit *Mamona*. Nam omnia, quæ ad rem pecuniarum pertinent, hoc nomine cenſentur. Cui cùm Græcum nullum aptè reſpon- **Mamona.**

 deat,

deat, Syriacum vocabulum efficaciȩ cauſa relictum eſt: vt facilè diſpiciamus, cur Chriſtus dixerit, *Parate vobis amicos de Mammona iniquitatis.*

Sed ad id, vnde digreſſi ſumus, redeundum eſt. Cùm ſciret Chriſtus ordinem hunc eſſe Iudiciorum, & veteres Iudæorum ritus cum Chriſtianis moribus conferret, ait, *Audiſtis, quòd dictum eſt antiquis, Non occides: qui verò occiderit, obnoxius erit Iudicio*: intelligens ſecundam iudicum claſſem, qui iudicia capitalia exercebant. Verùm maiorem in Chriſtianis perfectionem cupiens, non modò de grauibus iniurijs & cædibus, ſed de conuicijs etiam, & tacita ira iudicium fore oſtendit, de diuino iudicio humano more & parabolicè loquens. *At ego*, inquit, *dico vobis, quòd omnis qui iraſcitur fratri ſuo temerè, reus eſt iudicio, triumuirûm ſcilicet. Et quicumque dixerit fratri ſuo Racá, reus erit concilio*, quod eſt Synhedrion paruum vigintitrium. *Qui autem dixerit ei Fatue, reus erit gehennæ ignis*, id eſt, ſummo Synhedrio Septuaginta vnius, quo diuinum iudicium intelligimus.

Auditio. Nunc explicandum quid ſit *Audiſtis*, quid *Raca*. Dixerit quiſpiam, *Audiſtis*, propterea à Chriſto dictum, quòd filij à parentibus & ſacerdotibus legis præcepta audire ſolebant. Quod nec ipſi negamus. Sed alium ſubeſſe

ſenſum

ſenſum credimus huiuſmodi. Apud priſcos Iudæos triplex fuit ratio diuinas literas interpretandi, vt in Thalmud ſæpe obſeruare licet.

Prima dicitur שמעתא ſcemaata, quod eſt ἀκρόασις vel *auditio*, cum hiſtoricum ſenſum exponimus, quem audiſſe ſatis eſt.

Altera vocatur אגדתא Aggadtá, ſiue *extenſio*, cùm hiſtoricam ſententiam myſtica expoſitione dilatamus.

Tertia eſt מתלי Mithle, hoc eſt *parabolica*, cùm parabolis vtimur, quod paſsim in Euangelijs Chriſtus facit.

Porrò Rabbini populo hiſtoriam tantùm, hoc eſt *auditionem*, explicabant, qui propterea dicebatur *audire*. Hinc ergo patet, cur dixerit *Audiſtis*, quaſi dicat, verba tantùm intelligitis, myſterium non item, quod ipſe poſteà Chriſtus explanat. Iam ſupereſt, vt dicamus de *Raca*, quod D. Hieronymus optimè red- Racá.
didit *Inanem*: vſum tamen ac vim non aperit, quod è veterum Hebræorum ſermone cognoſci debet. Nam in Maſſéchet Berachoth aliquoties hoc verbum legitur, quod ſcribitur ריקה Rica. Eſt autem conuicium non acre, ſed familiare, vt cùm maior minorem pro authoritate familiariter caſtigat, vel leniter obiurgat. Cùm enim Rabbinus quidam plebeium neſcio quem orare in loco periculoſo animaduerteret, increpat eum dicens, ריקה

blicanus, cùm Romani tantùm publica vectigalia licitarentur atque conducerent.

Iudæi igitur *Publicanos* Syriaco verbo vocant גבאין gabbaín, quod eſt *exactores*. Porrò in Thalmud Maſſechet Synhedrin, Pérec zeh borer, vbi agitur de Iudicum reiectione, in hunc modum ſcriptũ eſt, אלו הן הפסולין הרועין הגבאין והמוכסין:, Hoc eſt, *Hi reÿciũtur in iudicio, Paſtores, Publicani, & Diæcetæ.* Hos enim vnà cum furibus & fœneratoribus, aliiſque infamia notatis perſonis, legitime reijci poſſe docent Thalmudici doctores. Nam iſti omnes fures atque impoſtores à Iudæis habebantur. Cæterùm quidã erat princeps Publicanorum, qui dicebatur ריש גבאי res Gabbaé: is verò Romanus vel ciuitate Romana donatus erat. Cęteri ſimpliciter nominabantur גבאין gabbain, Publicani, qui Romani neceſſariò non erant, ſed ex ea prouincia vel vrbe à principibus Publicanorum eligebantur, in qua vectigalia exacturi erant. Nam. ff. de public. & vect. & com. l. 1. §. hic. *Omnes qui quid à fiſco conducunt, rectè appellantur Publicani.* In eo autem titulo alij vocantur *domini*, nempe principes Publicanorum: alij *ſocii*, id eſt, ſimpliciter Publicani. vt l. 9. *Socÿ vectigalium, ſi ſeparatim parteis adminiſtrent, alter ab altero minus idoneo in ſe portionem transferre iure deſiderat. Cum igitur Iudæi decimas*

mas tantùm ſuis ſacerdotibus pendere quotannis ſolerent, inuiti Romanorũ Publicanos eorumq́ue ſocios Iudæos videbant: atque ob eam cauſam, quaſi publica notatos infamia, auerſabantur.

CAPVT IX.

De Camelo per foramen acus.

EXtat apud Matthæum c. 19. Chriſti dictum παροιμιῶδες, *Facilius eſt Camelũ tranſire per foramen acus, quàm diuitem ingredi in regnum cælorum.* Id adagium cùm à conſuetudine noſtri ſermonis abhorreat, fecit vt quidã *portam*, neſcio quam, Ieroſolymis è ſuo ſomnio fabricarentur, quæ *acus* diceretur ob anguſtiam, per quam *Camelus* animal tam vaſtũ ingredi non poſſet: cùm multò ciuilius fuiſſet, ingenuè dicere, *Neſcio.* Alij nonnulli, qui Græcas literas ſic mirantur, vt alias omnes faſtidiant, nauſeantes ſi quis aliquid ſe inueniſſe dicat, quod Gręci illi inaniſſimi ignorauerint: metamorphoſin monſtroſam comměti ſunt, atque ex immani bellua funē nobis nec opinantibus architectati ſunt. Aiunt enim κάμιλον, ſi cum iota ſcribatur, eſſe craſſum funem, quo anchoræ religantur: atque, vt ſententiam ſuam communiant, locum hunc Euangelij proferunt. Sed quod controuerſum eſt, pro certiſsimo teſtimonio citant. Nos conſtanter negamus vllum extare bonum Græcum authorem,

thorem, qui κάμιλον vel κάμηλον pro rudente, aut quouis ſune vſurpet. Nã Athenæus omnium, quod ad vocabulorum vſum attinet, ſcriptor atque obſeruator diligẽtiſsimus, cùm nauium vel minutiſsimas ſcobes & tenuiſsimas rimas deſcribat, atque partes omnes & ferramenta enumeret, nuſquã *Cameli camiliue* facit mentionem. Quinetiam Iulius Pollux in ſuo Onomaſtico, in quo nomina omnia vſitata perſequitur, *Camelum* funem ignorat. Producant igitur vel vnum teſtem, & cauſam per me obtineant. Sed quî poterũt, cùm *funis* Græcè κάλως, vel σχοινίον vocetur, κάμηλος beſtia tantùm ſit? En tibi Suidam.

Itaque vt Græcorum prouerbiorum ratio in Græcis ſcriptoribus quærenda eſt: ſic Hebraicorum dictorum origo ex Iudæorum petenda eſt commentarijs. Multę enim ſunt parœmiæ Iudæis familiares, quæ in alijs linguis abſurdæ vel obſcuræ videri poſſent. Quod quò melius perſpiciatur, non fuerit ab re adagia aliquot priſcis Hebræis vſitata, quæ in lectione Thalmudica obſeruauimus, afferre in medium.

למית ירקא ירקא שקל :

In vrbem oleribus (abundantem) olera (venalia) importa. Huius dicti authorem faciũt Moſen, cùm in Ægypto Magos Pharaonis prouocaret. Ii Moſen deridebant vt ineptum, qui in

in Ægyptum magicarum artium peritiſſimã, noua prodigia magicis, vt ipſi putabant, præſtigijs importare vellet. Quibus reſpondit Moſes hoc prouerbio, In vrbem olerum abundantem importanda eſſe venalia olera. Sæpe enim fieri videmus, vt cariſſima ſit in ſingulis vrbibus earum rerum annona, qua maximè abundant, omnibus ad alia loca exportantibus, atque vrbem ipſam ferè relinquentibus inanem.

טבא חדא פלפלתא חריפתא ממלא צנא דקרי.

Melius eſt granum piperis acre, quàm ciſta plena caryotarum. Huius prouerbij plana ſententia eſt, quæ pluris eſſe ſapientẽ vnum, quàm ſtultos multos oſtendit. acerrimũ enim eſt piper, vt contrà fatui palmarum dactyli.

תרי קיסי יבשי וחד רטיבא ארקדוה יבשי לרטיבא: *Si fuerint duo ligna arida, & vnum viride: arida viride illud exurunt.* Hoc eſt, Plures mali pauciores bonos facilè ſuperant.

זביתא בביתא כיקריא לשמשמי:

Adulterium domi eſt ſicut eruca Seſamo. Vt enim Seſamum eruca depaſcitur, ſic domum adulteria labefactant. לפם גמלא שחיבא, κατὰ τὸν κάμηλον ὁ φόρτος,

Pro Camelo ſarcina. Quod eſt, *Verſate diu, quid ferre laborent, quid valeant humeri.* Vt pro Cameli magnitudine & viribus ſarcina imponenda eſt.

שוביה חטא וזיגוד מנגד:

Tobias deliquit, & Zigod plectitur. Zigod quidam Iudæus cùm Tobiam in flagitio aliquo deprehendiſſet, teſtimonium in eum dixit: ſed cùm ſolus teſtis eſſet, verberibus vndequadraginta probè mulctatus eſt. Ea enim in cauſis capitalibus leuiſſima pœna erat. Cùm ergo nocentes abſoluuntur, & puniuntur inſontes, hoc dictum vſurpant.

ארבעי לצלא וארבעי לצללא:

Quadra foſſori, & quadra ocioſo.

Quod cum Heſiodi ſententia facit, qui panem villici vult eſſe τετράτρυφον. ὀκτάβλωμον.

Hoc adagio indicant naturæ paruo contentæ æquabilitatem.

Alia permulta afferre potuiſſem, ſed ad rē redeundum eſt.

Chriſtus itaque cùm rem ἀδύνατον parœmiacè ſignificare vellet, vſus eſt verbo priſcis Iudæis familiariſsimo. Nam in Thalmud Pérec haroéh legitur,

ולא פילא דעיל בקפא דמחטא:

Hoc eſt, *non poteſt Elephantus ingredi per foramen acus.* Et alio loco,

דילמא מפומבודיתא את דמעילי פילא בקפא דמחטא: *Forte è Phomboditha* (ea eſt vrbs quędam) *es tu, vbi immittunt elephantum per foramen acus.*

De quodam agitur, qui rem ἀδύνατον effecturum

fecturum ſe eſſe pollicebatur, vt eſt vaſtiſſimã belluam per anguſtiſſimum acus foramen intrudere velle. Quod vulgari prouerbio facere dicuntur Phomboditani, nempe homines vani & iactatores. Chriſtus tamen pro *elephãto*, quem pauci viderunt, beſtiam Syriæ notiſſimam *Camelum* dixit, quò res planius ab omnibus poſſet intelligi.

CAPVT X.

De Effathá.

POſtulat nunc ratio, vt locutiones quaſdam Euangeliſtis familiares, ac linguę Syriacæ proprias, quæ in alia nulla reperiuntur, exponamus, earúmque vſum doceamus. Ac primùm ſe offert verbum illud, quo Chriſtus oculos cæco reſtituens vtitur, ἐφφαθά, effethá, quod Euangeliſta Mar. optimè interpretatur διανοίχθητι, *adaperire*. Iubebat enim Chriſtus, vt cæcus ille oculorum vſum reciperet, quod Græci dicunt ἀναβλέπειν, vt in ſuo Pluto oſtendit Ariſtophanes. Hîc docendum cur *aperiri* Syriacè id ſignificet, quod nulla alia lingua vſurpat. Nam ſi Græcè dixeris διανοιχθῆναι, & Latinè *aperiri*, nemo vnquam intellecturus eſt, oculorum aciem reſtitui. Id eò fit, quòd peculiares ſunt in ſingulis dialectis locutiones, pręcipuè tralatitię. Quod enim Latini in vitibus *gemmam* vocant, Gręci nominant ὀφθαλμὸν *oculúmue*, Galli à trudendo

dendo *boutonem* appellant, Itali *thecam*. Sic Græci montis imam partem *pedum nomine* ſignificant, vt Galli & Itali, Homerus πόδας πολυπιδάκου ἴδης ait, Latini *radices* nominant. Multæ ac propemodum innumerabiles ſunt Latinę tralationes, quas Gręci ignorant: vt plurimę apud Gręcos Latinis incognitę. Gręci itaque eum, qui oculorum vſum habet, appellant βλέποντα, Chaldęi פתיח phetía, hoc eſt, *apertum*, tralatione apta, nec longè petita. Latini, quod ego ſciam, nullum vnum vocabulum eiuſmodi habent. Si igitur cęcus aliquis oculorum aciem recipiat, Gręcè dicetur ἀναβλέψαι, Syriacè אפתחא iſſethahá, id eſt, aperiri. Oculos enim omnes habemus, ſed cęci clauſos atque obſtructos, qui Syriaca phraſi elegantiſsimè dicuntur *aperiri*, cùm tegmenta illa recluduntur. De orthographia dictum eſt à nobis in Grammatica, hîc tantùm oſtendendum, cur cùm literam thau deciduam indicet daghes, ph non mutetur in p, ſed geminetur. Id diſertè D. Hieronymus in commentarijs in Dan. cap. 11. docet, qui ait apud veteres Hebręos, vt hodie quoque apud Syros & Arabes nũquam pronunciari p, ſed ph vel ſimplex, vel, ſi id orthographię ratio poſtulet, geminum. optimè ergo ſcriptum eſt ab Euangeliſta ἐφφαθά, non ἐππεθά. Id dictum voluimus propter ſciolos quoſ-

quoſdam, qui, quod ipſi non intelligunt, ſtatim deprauatum eſſe clamant. Sed monſtremus huius verbi vſum. In Vaiicrá Rabbá, vel magno Leuitico, c. 18. qui liber Syriacè ſcriptus eſt, legimus hiſtoriam de duobus viatoribus, è quibus vnus cæcus erat, alter apertus, vel oculorum acie pręditus. Quam, cùm mirificè eam locutionem exprimat, huc tranſcribere non piguit. Verba hæc Syriaca ſunt.

עובדא הוה בתרין גברין דהוו עילין לטבריא
חד סמי וחד פתיח דהוה ההוא פתיחא גרש
לה יתבון למקטרא בארחא לקטון עשבא
ואכלון דין דהוה פתיח אסמי ודין דהוה סמיא
אפתח ולא. עלין מתמן עד זמן דגרש ההוא
סמיא להחוא פתיחא: Id eſt, *res geſta narratur de duobus viris, qui aſcendebant in Tiberiadem, è quibus vnus erat cæcus, alter* פתיח *phathí a apertus, & deridebat ille apertus eum*, nempè cæcum. *Conſederunt, vt reficerent ſe in via, & lectam herbam comederunt: ille qui erat apertus excæcatus eſt, & is qui erat cæcus* iffathá, *apertus eſt*, hoc eſt, oculorum aciem recepit. *Nec abierunt illinc, quod ille qui fuerat cæcus derideret eum, qui fuerat apertus.*

Hoc afferre volui, vt vſum huius verbi atque originem oſtenderem, quod hactenus neminē feciſſe videbam. Porrò an herba vlla extet vel chelidoniū, vel alia, quæ hac vi prædita ſit, medici viderint: mihi narraſſe ſatis eſt.

CAP.

CAPVT XI.

De Mamona, & alÿs locutionibus.

CÆtera, quę in Euangelijs leguntur, hæc ſunt. Mamona, Matt. 6. μαμωνᾶ, ממונא, *pecunia*, de hoc ſuprà egimus in Racá. cap. 7.

Bar-iona, Matth. 16. βαρ-ιωνᾶ, בר־יונה *filius Ioná*, quod *columbam* ſignificat.

Golgolthá, Matth. 27. quanquam corruptè à Græcis detracto altero l ſcribitur γολγοθᾶ, *cranium*, vel *calua*, mortui præſertim. erat enim cippus Iudæorum.

Geth-ſemaní, Matth. 26 γετσεμανεί. Non eſt *vallis pinguium*: geth enim Hebraicum nõ eſt: nec *prelum olei*, vt quidam ſomniat. Sed ſunt duo vocabula Syriaca גת שמני, *pecuaria butyri*. גת geth enim reſpondet Hebraicæ voci מקנה, & שמן ſeman eſt חמאה *butyrum*. Is enim locus à copia butyri id nomen nactus eſt.

Elí elí lamá ſabachtáni, Matth. 27. quod ſcribitur Syriacè, אלי אלי למא שבקתני, vel, vt Marcus habet elohi, אלהי. *Deus mi, Deus mi, cur deſtituiſti me?* Quæ verba Hebraicè leguntur in principio Pſal. 22. אלי אלי למה עזבתני, Elí elí láma azabtáni. Sed Chriſtus, qui vernacula Syrorum lingua vtebatur, vt ab omnibus intelligi poſſet, verſiculum Pſalmi Hebraici Syriacè pronunciauit. Vox enim El אל, *Deus*, tam Syris, quàm Hebræis familiaris eſt. Elo-

hi autem, Syriacum eſt אלהי, quod Hebraicè dicendum erat אלהי elohái. Suſpicor tamen Chriſtum *Eli* protuliſſe, quod propius accedit ad nomen *Eliæ*, vt indocti homines Chriſtum *Eli* clamantem, *Eliam* inclamare exiſtimarent.

Bane_rgés, Marc. 3. *βανε_ργές*, בני רגש, non בניא רגש vt habet Munſterus, cùm ſit ſyntaxis genitiui: nec בני רעם, vt quidam credunt: cùm *raam* Hebraicum ſit, *regés* Syriacum, quod *tumultum* & *tonitru* ſignificat. Euangeliſta rectè interpretatur υἱοὺς βροντῆς, *filios tonitru*. Quanquam ſcribendum eſt proculdubio *Banerges* ſine o, quod nemo doctus negauerit.

Thalithá cúmi, Mar. 5. θαλιθὰ κοῦμι, טליתא קומי *ó puella ſurge*, Hebraicè dicendum erat, הנערה, vt Babylonicè עלמתא.

Beth_eſdá, בית אשדא, Ioh. 5. quod librarij errore malè ſcribitur *Bethſaida*, qui piſcinam *Beth_eſda* (nam Græca exemplaria habent *βηθ_εσδά*) cum oppido *Bethſaida* confudit. Eſt autem *Betheſda*, *domus effuſionis* ab אשד verbo Syriaco *effudit*, à ſanguine victimarum effuſo: hinc Græcè dicitur προβατικὴ, quaſi *Victimariam* dixeris. *Bethſaida* autem eſt בית צידא, *domus piſcationis*, ob crebra ſtagna & lacus.

Gabbatha, Iohan. גבתא, Hebræis quoque vſita-

vſitatum eſſe ait Munſterus, quod nos negamus, cùm merè Syriacum ſit. גב enim Syriacè eſt idem quod כל Hebraicè, id eſt, *viam lapidibus ſternere*. propterea elegantiſſime redditur ab Euangeliſta λιθόστρωτον, quod eſt *lapidibus ſtratum*, vel *teſſellatum*. Cuiuſmodi multa pauimenta in Hiſpania viſuntur.

Aqel_demá, Act. 1. חקל דמא, *ager ſanguinis*, qui Hebraicè diceretur שדה הדם ſadéh haddám.

Tabithá, Act. 9. טביתא, Græcè ἡ δορκὰς, Latinè *Dama*, Hebraicè הצביה hazzeuiiáh, vt habes in Cantico.

Beelzebub, בעל זבוב, Hebraicè בעל, *Baal*, id eſt *magiſter muſca*: vt Nicander μύαγρον vocat quendam ſerpentem.

CAPVT XII.

De Dimitte nobis, & alijs.

MVltæ ſunt præterea in nouo Teſtamento locutiones Syriacæ, quæ cùm vel ab Apoſtolis vel interpretibus mutatæ non fuerint, obſcuram ſępe ſententiam efficiunt. Nos aliquot ſelegimus, quò magis huius linguæ ſtudium ijs, quibus per ætatem & ingenium licet & libet, commendaremus.

Extat in Dominica precatione illa nobilis phraſis, καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debi-*

toribus noſtris. Dimittere, vel, vt quidam Latinius loquuntur, *remittere debita* Syriaca locutione dictum eſt, quod eſt, *delicta condonare*. Vt *debitores* pro *peccantibus* dicuntur. Quis enim non videt, nec Græcos, nec Latinos hoc modo loqui? Quinetiam Hebræi ipſi ſimilem locutionem non habent. Quod aliquod exemplis explanandum eſt. *Parcere* quidē & *ignoſcere* Hebraicè dicitur, סלח, vel בשא ערן, hoc eſt, *perferre dilictum:* Syriacè verò שבק, id eſt *dimittere* vel *remittere*. Porrò *qui peccat* Hebraicè חטא hattá appellatur, Syriacè חיב haiiab *debitor*, obnoxiúſue. Et *peccatũ* Hebraicè חטא, Syriacè חובא, hoba, *debitũ*. In precatione Salomonis 3. Re. 9. legimus,

וסלחת לעמך ישראל.

Et ignoſces populo tuo Iſraël.

Id à Chaldæo paraphraſte ſic redditur, ותשבק לחובי עמך ישראל. *Et dimittes debita populi tui Iſrael*, ídque ter aut quater ibi repetitur. Filij Iacob, Gen. vlt. Ioſephum in Ægypto ſupplices alloquuntur, שא נא פשע אחיך, *parce nunc delicto fratrum tuorum*. Id Chaldaicè verſum eſt, שבק כען לחובי אחך, *Remitte nunc debita fratrum tuorum.*

Cæterùm facinoroſos vocari חיבין *debitores*, tam vſitatum eſt, vt vel mediocriter doctus id facilè intelligat, vt Pſal. 1. *Et in via peccatorũ non ſtetit*, Syriacè ובארחת חיבין לא קם, *Et in via*

in via debitorum non manſit. Hoc videns Lucas, qui Græcè doctus erat, ſcripſit ἁμαρτίας, *peccata,* cùm Matthæus habeat ὀφειλήματα. *Debitores* autem, quod Græcè exprimere non poterat, reliquit. Quid enim, quæſo, aliud eſt peccatum, quàm debitum quoddam, quo nos obſtringimus, rationem aliquando, niſi pœnitentiæ lachrymis tabulas inducamus, reddituri?

Mortuos vocare *dormientes* ob ſpem reſurrectionis, pium eſt, ſed Syriacę tantùm linguæ proprium: quanquam Hebræi dicant, *Et dormiuit cum patribus ſuis,* mortuos tamen nunquam nominant *dormienteis.* legimus in Thalmud, Dormientes pro mortuis.

ברה דרב דימי אתילד לה ינוקא ובגו תלתין יומין שכיב: *Filio Rab Demi natus eſt infans, & intra dies triginta dormiuit.* Tum de quodam mago ſic ſcriptũ eſt, ההוא אמגושא דהוה מחטט שכיבי *Ille magus, qui dormientes ſpoliabat.* Solus Homerus, poëtarum, vt Plato ait, Deus diuinitus hoc ſenſit, cum Iliad. ξ. de virga illa mirifica Mercurij loquens, *mortuos* nominat ὑπνώοντας.

Εἵλετο δὲ ῥάβδον, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει
Ὧν ἐθέλει. τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

Id Æneid. 4. Virgilius vertit,

Tum virgam capit, hac animas ille euocat orco
Pallenteis, alias ſub triſtia tartara mittit.

Dat ſomnos, adimitq; & lumina morte reſignat.

Quod Homerus mirificè dixerat ὑπνώοντας ἐγείρειν, quod eſt *dormientes excitare*, id obſcurè & minus aptè vertit Virgilius, *ſomnos adimere*. Multę enim ſunt phraſes Homericæ Syriacis valdè conſentaneæ ac conſonę. Quod, Chriſto propitio, aliquando à nobis explanabitur. Chriſtiani eam locutionem imitati cippos libitinarios & ſepulcreta ſua Græco verbo κοιμητήρια, cœmeteria, vocitant, quod Latinè vertas licet *dormitoria*.

Anto. Nebriſſenſis Quinquagenæ c. 11.

Deum nomine *cæli* intelligere Syriacum eſt. Hinc eſt illud Matth. 21. *Baptiſmus Iohannis vnde erat, à cælo, an ab hominibus?* מִשְׁמַיָּא.

In ſalutatione angeli legitur, κεχαριτωμένη σὺ ἐν γυναιξί. Quod verbum ipſe Euangeliſta fabricatus eſt, cùm apud Græcum authorem nullum extet. Nec enim vllum erat verbum, quod reſponderet Syriaco participio רחימתא Rachimtá, quod eam ſignificat, quę gratioſiſſima atque acceptiſſima eſt. Sed iam dicendi finem faciemus, ſi omniũ Apoſtolorum nomina cum ſuis etymis explicauerimus.

Niſi *gratiata*, quod in vet. lib. legitur.

CAPVT XIII.

De Meſſia, Maria, & omnium Apoſtolorum nominibus.

Meſſias & Chriſtus.

CVr *Ieſus* vocetur *Chriſtus*, & *Meſſias*, omnes intelligunt. משח maſah enim tam

tam Hebraicè quàm Syriacè eſt *vngere*. Hinc משיח Maſiah *vnctus*, Græcè χριστός. Sed mirantur multi, cur Euãgeliſtæ ſcribant μεσσίας, non μασσίας, cùm Hebraicè pronuncietur Maſiáh. Paulus Ricius vir alioqui diligens ſcribit *Moſias*, ſed ridicula & indocta ſuperſtitione. Chriſtus enim Syriacè dicitur משיחא Meſihá, ſed illa aſpiratio Græcè exprimi non poteſt. rectè ergo Euangeliſtæ μεσσίας ſcribunt, vt Latini melius ſcriberent *Meſihas*. Græcè interpretati ſunt Apoſtoli χριστὸν, vnde nos *Chriſtiani* nominamur. Porò Iudæi cùm ſuum *Meßiam* tardigradum Græcè appellare vellent, non χριστὸν dicebant, ne cum Chriſtianis vel nomine ipſo conſentire viderentur, ſed ἠλειμμένον, hoc eſt, *delibutum*. Verùm illud obſeruandum, quemlibet regem & ſacerdotem χριστὸν vel משיח vocari poſſe, Ieſum verò κατ' ἐξοχὴν propriè τὸν χριστὸν, & משיחא appellari.

Mariám compoſitum nomen eſſe quidam putant, & *mare ſalſum*, vel *ſtellam maris* interpretantur: ſed ridiculè primùm, tum contra Hebraicæ linguę analogiam. Cùm enim ſcribatur מירם *miriam*, & biſyllabum ſit, omnes Hebraicè docti fatebuntur heemanticum eſſe ac ſimplex. Cùm enim præter Mem, tres thematicæ appareant, neceſſario Mem cum hirec heemanticum eſt. Thema itaque eſt רם MARIA.

 ram,

ram, *eminuit*, in quo media quieſcit, quæ in deriuato mouetur, vt à קם fit קים, & Syriacè קים. *Mariam* ergo, ſic enim dicitur Syriacè, vt ſuprà docuimus, eſt *excelſa, ſublimis* atque *eminens*: quod etymon optimè tam è linguæ ratione, quàm ex merito per gratiam ſanctiſſimæ Virgini conuenit.

Petrus Cepha.

Simō Apoſtolorū princeps Syriaco nomine à Chriſto כבא *Cephá* appellatus eſt: quod Euangeliſtæ πέτρον rectè interpretantur. Latinè autem non tam benè nec propriè redditur *Petrus*. Quod facilè me viris prudentibus probaturum confido, atque interim ſcrupulum illum exempturum, qui hactenus multos torſit: *Tu es petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*. Cùm enim conſtet Chriſtum Syriacè fuiſſe locutum, ex ea lingua rationem petere debemus. Nam cùm cognomine aliquo Simonis Eccleſiæ principis futuri, in eoque paſtorum aliorum ſoliditatem atque cōſtantiam exprimere vellet, indidit ei Syriacum nomen *Cepha*: quod ſi Latinè reddatur, ſignificat *durum lapidem, vel cautem* cui reſpondet Hebraicum סלע. Cuius rei vim in parabola pij hominis qui auditum verbum conſeruat, atque opere perficit, Chriſtus exhibuit. Porrò id proprium nomen non eſt, ſed cognomen à tralatione ſumptum. Euangeliſtæ quidem, qui Græcè ſcripſerunt, *Cepha* elegan-

elegantiſſimè atque aptiſſimè interpretantur πέτρον, quod *lapidem ſaxúmue* ſignificat. At Latini tam commodè reddere non potuerunt, ne neſciſſe dicam, quàm Syri & Græci. Nam lingua Syrorum כפא cepha *lapidem* ſonat, & nomen Apoſtoli refert, ídque ſine vlla literarum varietate. Quin etiam Græcè πέτρος tam pro *lapide* accipitur, quàm pro Apoſtolo. Latini hanc felicitatem aſſequi non potuerunt. Cùm enim Petrum dicunt, hominẽ tantum intelligunt, lapidem non item. Niſi voluiſſent dicere, *Lupis*, vel *Petra*, quæ cùm homini, tum ipſi rei aptè quadraſſent. Hinc facilè ſolui poteſt quæſtio illa, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:* vel ſi Syriacè pronuncietur hoc modo,

אנת כפא רעל כפא הדין אבני ית צבורי׃

Ant cephá veál chephá hadén ebnè iath çibbuí (hoc enim modo locutum fuiſſe Chriſtum omnes Syriacæ linguæ docti concedent) id eſt, *Tu es lapis, & ſuper hoc lapide* (ſuper te, tuáque fide, & cęterorũ paſtorum) *ædificabo Eccleſiam meam*. Illi enim Chriſti ouium cura commiſſa eſt: ipſe primus Euangelium annunciare cœpit, & primus in carcerem detruſus, verberibúſque propter Chriſti nominis confeſſionem mulctatus eſt. Hic enim Eccleſia non ſubſtructiones atque ædificia, ſed Chriſti fidelium multitudinem refert:

quam, inſtar cautis ſolidiſſimæ, Simon Cepha inſtituit, confirmauit, atque in fide Chriſti conſtabiliuit. Hæc facile rudes contemnent, quorum iudicium nihil moramur.

Andreas. *Andreas* Grȩcum eſt, vt Philippus: ille *virilis* & *fortis*, hic *bellicoſus, qui equis delectetur*, reddi ſolet.

Iacobus. *Iacobus* Hebraicum nomen eſt, Græcè ἐπτοσκελιστὴς, Latinè *ſupplantator*.

Zebedæus, זבדי, *liberalis* & *munificus*.

Iohannes יוחנן, *gratioſus* & *miſericors*.

Bartholomæus. *Bartholomæus* non eſt filius Ptolemæi, ſed filius Thalmái, quod nomen in Biblijs legitur multis antè ſeculis, quam Ptolemȩus vllus natus eſſet. *Telem* Hebraicè *ſulcus* eſt.

Matthæus, *donum dei*, Græcè Doſitheus, vel Theodorus,

Thomas, Syriacè תאומא, Græcè, vt Euangeliſta interpretatur, δίδυμος, Latinè *Geminus*.

Nonnus in Paraphraſi Euang. Ioannis. Vt mirer, quid Nonno in mentem venerit, vt Thomam binominem faceret. Cùm idem nomen ſit Thomas, δίδυμος, & *Geminus*, vt *Meſſias, Chriſtus*, & *Vnctus*. ſed linguarum ignoratio magnis etiam viris errandi anſam præbet.

Alphæus, אלפי, eſt *doctus*, vel *doctor*.

Thadæus, תדי Syriacè non à confeſſione, vt quidam putant, alioqui diceretur *Thodæus*: ſed

ſed à תדי voce Syriaca, quæ *mammam* vel *papillam* ſignificat. Eſt enim Thadæus à *Mamma*, vt Lebbæus לבי à *corde* dictus. D. Hieronymus elegantiſſimè *Corculum* vertit. Oſiander à *Leone* ductum credit, ſed errat. Syriacè enim *Leo* non לביא, ſed אריה dicitur.

Simon Cananæus perperam ſcribitur à Latinis, cùm ſcribendum proculdubio ſit *Cannæus*, vel *Cannita*, vt Græcè quoque χαννίτης. 193
Niſi Euangeliſtis credere nolumus, qui ζηλωτὴν *zelotem* vel *æmulatorem* interpretantur, Porrò *zelator* Hebraicè & Syriacè dicitur קנא Canná : ſcribendum ergo Latinè *Cannæus*, vel *Cannita*, Græcè χαννίτης. Nam *Cananæorum* nomen, quod crebrum eſt in Scripturis, librarijs parum doctis impoſuit.

Iudas *Iſcariota*, Chriſti proditor, vnde id nominis nactus ſit, nemo hactenus explicauit. Nam qui à שכר ſacár, *mercede* deducunt, Hebraicè neſciunt. Quid enim faciemus I *& ota*, quæ ad nomen neceſſario pertinent? Ea res diu me exercuit, cùm rationem nullam ſaltem veriſimilem inuenirem, & ſcirem hac ætate, qua literæ omnes bonæ florent, nihil temerè aſſeuerandum, niſi quis γέλωτα καὶ ἄνοιαν ὀφλισκάνειν cupiat. Sed confido me veram huius nominis rationem inueſtigaſſe, quam alijs quoque vt probem, operam dabo.

Iudas Iſcariota, à patria ſic dictus.

Cùm enim docti omnes, & in ſacris literis exerci-

exercitati, Apoſtolos omnes Iudęos fuiſſe cõſentiant, quod multis argumentis euincere poſſemus, eius nominis analogiã ex Hebręorum libris petamus oportet. Omnes itaque vel à familia, ſi nobiles fuerint, vel ab aliquo euentu, aut poſtremò à patria, præſertim ignobiles, cognomen ſumunt. Nos aſſerimus Iudam proditorem *à patria ſua Iſcariotam* appellatum. Quoniam conſtat ex libro Ioſue, cap. 15. & alijs multis locis, *Carioth* oppidum eſſe in Tribu Iuda, quod Hebraicè ſcribitur קריות: & ſcimus omnes qui à patria deſcribũtur, vocari *eius loci viros vel filios*, ſed præſertim viros. Quod Ezræ 1. paſſim legitur. *Filij Beth-lehem centum & vigintitres. Viri Netophá quinquaginta ſex. Viri Anathoth centum viginti octo*. lege id caput, & Nehemiam cum Paralipomenis. Si enim velis vocare Romanum, dices איש רומי Is romé, *virum Romæ*: ſi Ieroſolymitanum, איש ירושלם. Is Ieruſaláim, *virũ Ieruſalem*. In Pirque aboth habes, אנטיגנס איש סוכו Antigonos iſ ſocó, *Antigonus vir ſoco*. i. Socæus. Sic, יוסי בן יועזר איש צרדה, Ioſe ben Ioézer is Seréda, *Ioſes filius Ioezer vir Sereda*, i. Seredæus: quæ Ieroboami patria fuit. Alia innumera afferre potuiſſem, ſed ex his, quod volumus, prudẽtes intelligẽt. Dicimus itaque nomen proditoris fuiſſe, יהודה איש-קריות, Iehuda Iſcarioth, id eſt,

eſt, *Iudas vir Carioth, vel Cariotenſis*. Vbi ſunt ergo iſti, qui Iudam Gallũ natione fuiſſe non tam malignè, quã indoctè contendunt? Cæterùm Euangeliſtæ, qui libenter nomina Hebraica & Syriaca retinẽt, cũ præſertim vulgò ab omnibus *Iſcarioth* appellaretur, ſcripſerunt ἰσκαριώτης, adiecta Græca forma, quod fecerunt in omnibus proprijs nominibus.

CAPVT XIV.

De Pane quotidiano, in oratione Dominica.

HVic præfationi noſtrę eam Coronidem addere ſtatuimus, qua piorum animi delectari poſsint, nempe eam precationẽ, quã diſcipulis ſuis Chriſtus ac proinde Chriſtianis omnibus Syriacè tradidit. Nos bona fide ſingulis etiam verbis accuratiſsimè collatis, Syriacè ſcriptam pijs ac doctis aſſerimus. Cęterum, quoniam verbum vnum, quod tanquã ſcopulum omnes, præter vnum diuum Hieronymum, præteruecti ſunt, diu ac multùm nos ſollicitos habuit, cùm quid eſſet *panis ille* ἐπιούσιος, non reperiremus: ac ne alium quidem vllum, qui eius originem aperiret, haberemus. Sed hîc illa clauſula vtar, nequis me, quod ſemel Eccleſia recepit, conuellere exiſtimet: cùm pro virili parte, quanquam parui parua conamur, Chriſti Eccleſiam ornatam atque auctam cupiã: cùm præſertim hęc doctis, non plebi proponamus: &, quod maximum

mum ducimus, Hieronymum ſequamur, & poſtremò non tanquam dogma obtrudamus, ſed Theologorum iudicio relinquamus perpendendum.

Videmus itaque omnes ferè vertere *quotidianum*, quod linguæ Græcæ ratio non patitur. Id eò libentius dicimus doctiſſimo hoc atque acutiſsimo ſeculo, vt omnes intelligant me nihil de meo aſſuere aut confingere poſſe. Nego enim ἐπιούσιον in Græco authore vllo ſignificare *quotidianum*, ac ne legi quidem apud vllum ſcriptorem niſi ſacrum. Quod ſi falſum eſt, conuincar à tot viris eruditiſsimis manifeſti mēdacij. Verùm ea eſt veritatis vis, vt nullis poſsit expugnari calumnijs. Quidam interpretantur *ſubſtantialem* vel *superſubſtantialem*, ſed contra Græcæ linguę analogiam, quæ poſtularet ὑπερούσιον, & οὐσιώδη, vel ſaltem ἐπούσιον: niſi dicere libet ἐπιουρράνιος, & ἐπιήμερος, ἀντὶ τῦ ἐπουράνιος & ἐφήμερος: quæ nemo Græcè ſciens riſu nō excipiet. Hæc qui Græcas literas non attigerunt, facilè contemnent. Sed nos cum doctis agimus, qui id veriſſimum eſſe fatebuntur. Solus D. Hieronymus, quem ſequimur, huius loci difficultatem ſentiens, vt qui Græcè doctiſsimus eſſet, & noui vocabuli, quod architectatus fuerat Matthæi interpres, rationem quærens: Euangelium Hebraicum, quod penes Nazaræos

Berrhææ aſſeruabatur, conſuluit: in quo ſcriptum reperit מחר mahár, quod *cras* ſignificat, & cum articulo *craſtinum*, hoc modo, לחמן, דמחר הב לן יומנא *Panem noſtrum craſtinum da nobis hodie*. Porrò cùm Matthæi interpres, quem multi Iohannem Euangeliſtam fuiſſe aiunt, nullum vnum Græcum nomen videret, quod reſponderet Syriaco דמחר Dimhár (Græci enim, quod *craſtinum* referat, verbum nullum habent, ſed *cras* ἄυριον dicunt.) Cùm igitur hoc videret interpres, & ſciret τῇ ἐπιούσῃ pro *poſtridie* ab omnibus accipi, nomen nouum, aptùm tamen & ſignificans, ſeruata analogia, formauit ἐπιούσιος, & reddidit verba illa Syriaca, τὸν ἄρτον ἡμῶν, τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον. Nomina enim, quę à participijs deducuntur, à fœminino fiunt, vt οὐσία, & οὐσιώδης ab οὖσα, non ab ὢν, neque ὄν.

Quanuis igitur demus ab οὐσία dici poſſe ἐπιούσιος, vt ἐπίορκος ab ὅρκω, ſignificatus ipſe verbi Syriaci, quo Chriſtus vſus eſt, repugnat. Porrò Græcos ſcripturę interpretes noua multa excudiſſe vocabula, nemo, qui eorum ſcripta euoluerit, inficiabitur. Ea enim eſt vis Hebraici & Syriaci ſermonis, vt linguæ Græcæ vbertas atque felicitas, inopiam ſuam agnoſcere, & noua fingere nomina cogatur. Quod feciſſe oſtẽdimus Lucam in κεχαριτωμένη. Quinetiam Septuaginta pleraque innouarunt, de qua voce ſup. cap. 1. extremo.

uarunt, vt illa, ἐνωτίζειν, ἀκουτίζειν, & ὀρθρίζειν, quæ ſi Latinè vno verbo reddas, dicendum erit, *inauriculare*, *auctificare*, & *manicare* : quæ duriſſima eſſent, cùm vſitatiora ſint, *præbere aureis*, *nunciare*, & *manè ſurgere* : non minus duriter illa Græcas aureis feriunt. Alia multa afferre poſſem, quæ domi illorum nata ſunt. Cęterùm quomodo intelligendum ſit, *Panem noſtrum craſtinum da nobis hodie*, Theologis expendendum relinquemus : nos certè ſententiam ex antitheto elegantiſſimam eſſe cernimus. Verùm noſtro officio ſatisfactum eſſe credimus: ſi quod intelligere potuimus è ratione linguarum, quarum ſi cognitionem aliquam nobis tribuamus, iure id noſtro facere videamur, cùm in ijs totam penè ætatem contriuerimus, id candidè in medium proferamus. Tum magnorum erit Theologorum, ſententiam, quæ certè impia non eſt, cùm authorem habeat Hieronymum, exponere.

Vt enim in Eccleſiæ incunabulis alij, teſte Paulo 1. Corinth. 14. *loquebantur linguis*, alij *prophetabant atque interpretabantur*, quod munus longè eſt præclarius atque vtilius: nec alij alijs inuidebant. Sic cum multis prophetandi & interpretandi ſacras literas ſcientiam concedamus, nemo noſtris ſtudijs, quæ ad peregrinarum linguarum illuſtrationem, & ſacrarum literarum aliquod emolumentum ſpectant,

ſtant, obloqui aut obſtrepere debet. Si quis tamen ſententiam noſtram audire cupiat, hoc modo intelligi non impiè nec incommode poſſe exiſtimo.

Iuſſerat Chriſtus ne quis de craſtinis eſſet ſolicitus, cum cuique diei ſufficiat malitia ſua: tum quòd ea cura animos maximè à pietatis cogitatione auocet atque abducat. Cùm enim conſtet auaritiam omnium ferè vitiorum procreatricem atque altricem eſſe: ſi quis craſtina curare non ſtultè, ſed piè deſierit, is profectò paruo contentus, cupiditatibus omnibus ablegatis, totum ſe pietatis culturæ dedet: quod ardentiſſimè ſuis optat Chriſtus. Verùm quoniam humana imbecillitas ſibi ſemper timet, & deteriora auguratur, præcipit Chriſtus vt patrem rogemus, qui noſtræ infirmitati proſpiciat, nobiſque pridie præbeat, quantum ſufficere poſſit poſtridie. *Panis* enim nomine, cibus omnis neceſſarius Hebraicè ſignificatur.

Id mirificè cum veteris Teſtamenti figura conſentit. Vt enim Exod. 16. Deus Iſraëliticum populum in ſolitudine *Manna* ſeptimo die colligere vetuit: ſed ne fame periret, ſexto die, qui dicitur παρασκευὴ, vel *præparatio*, duplam menſuram, quæ ad biduum ſatis eſſet, ſumere permiſit. Vt etiam Leui. 25. ſeptimo anno, quod eſt ſabbatum ſabbathon Dei,

agros ſeri, & vineas putari, ac denique terram coli vetuit: ſexto tamen anno tantam rerum vbertatem pollicitus eſt, vt toto triennio affatim ali omnes poſſent. Vt poſtremo poſt ſeptimam annorum hebdomadem, cùm Iobilæus celebratur, quieſcere omnes iuſſit, terrámque coli, ac fructus ſua ſponte naſcentes legi interdixit. Tum eos omnes, qui ob æs alienum nexi ante Iobilæum fuerant, liberari: pauperes & obæratos, qui ſua bona vendiderant, in antiquas poſſeſſiones redire imperauit.

Sic fideles ſuos optat Chriſtus, dum mortale corpus circunferunt, quaſi ſabbatũ quietis, & Iobilæum libertatis aſſiduè expectent, in paraſceue perpetua eſſe: vt poſtridie ſingulorum dierum quieſcendum eſſe ſperent: ne rerum futurarum cura à pietatis continenti meditatione auocentur. Quod etiam Pythagoras ſuo ſymbolo præcepit, τὰ σκευη συνδεμένα ἔχειν: nempe *Vt ſemper ſarcinulas compoſitas habeamus*. Rogemus igitur omnes quotidie Patrem, vt noſtræ imbecillitatis miſertus, *panem noſtrum craſtinum det nobis hodie*: aliáque omnia Dei opt. max. prouidentiæ committentes, eum ſolùm ſperemus, qui Chriſti filij ſui meritis poſt diuturnam ſeruitutem, ærumnoſámque paupertatem, iam iámque aduentante Iobilæo, liberali nos aſſe-

rat

rat cauſa manu, atque in antiquam cæleſtis Ieruſalem mittat poſſeſſionem.

F I N I S.

Precatio Dominica, quam Chriſtus ſuos docuit, lingua Syriaca fideliter expreſſa.

צלותא דאלף בה ישוע משיחא מרן לתלמי-
דוי ולכל משיחאי׃

אבונן דבשמיא יתקדש שמך תיתי מלכותך
תתעבד רעותך היכמא בשמיא כן בארעא לחמן
דמחר הב לן יומנא ושבק לן ית חובינן
היכמא דאף אנן בשבק לחיבינן ולא תעיל
יתן בנסיונא אלא פרק יתן מן בישא ארי דידך
היא מלכותא וגבורתא ויקרא לעלמין אמן׃

Abunán debiſmaiiá iithcaddés ſemách thethé malchuthách iithaabéd reuthach hechmá biſmaiiá qen bearaá lahmán dimhár háb lán iomána vſ búc lan iath hobenán hechmá deuph anán niſ búc lehaiiabenã, vela theaiiél iathan beniſioná, ellá pherúc iathan min biſá are didách hi malchuthá vgburthá vicará lealmín. Amen.

Salutatio Angelica Syriacè.

שלם לך מרים רחימתא יהוה עמך בריכתא
את בנשי ארי את ילדת ית פרוקא רנפשתן:

Selám lec Mariám rehimithá, Adonái im-
méch, berichthá at binſé, aré at ielídith iathe
pharocá denaphſathán.

תהלה לאל חי:

ANTONII NEBRISSENSIS QVINQVAGENA, SEV QVINQVAGINTA

Scripturæ locorum explanatio ; ordine Alphabetico.

CAPVT I.

Arceutina & thina ligna quæ ſunt.

IN Secundo Paralipomenon volumine Cap. 2. vulgo legitur, *Sed & ligna cedrina & arcentina & pinea mitte mihi*. antiqui codices habent, *ſed & ligna cedrina, & cupreſſina, & archeutina, & pinea mitte mihi*, ſed ei quod eſt pinea in hebræo nihil reſpondet. Pro eo vero quod in omnib. prope libris latinis legitur *archentina*: ſuſpicamur debere ſcribi *archeutina*, ſed neutrum quid ſit enarratores dicũt. Quicunque tamen ille fuit qui dictiones ſacræ ſcripturæ in ordinem alphabetarium redegit: videtur habuiſſe codicem in quo pro *archeutina*: *thina* tantum legeretur, ſed ex eo nihilo plus intelligas: quam quod ligni genus illud ſit. Nos vero lectionem veram eſſe aſſeueramus *archeutina*: id quod in codicibus antiquis & recentioribus legitur : vna tantum

[library stamp]

litera aſpirata ex penultima in tertiam à fine ſyllabam reiecta: cùm alioqui *archentina* ſit nihili verbum. Sed an *thina* in eo loco poſſit legi, poſtea diſputabitur. Nunc verò *arcenthina* materia quę ſit inueſtigemus: & an templorum ſtructuris conueniat. Ἄρκευθος Græcè, Latinè interpretatur *iuniperus*. Inde eſt *archeutinus. a. um* ea forma qua à cedro cedrinus: à cypreſſo cypreſſinus inflectitur. Atqui *iuniperi* materia quemadmodum & *cedri* propterea quod cariem non ſentit, nec teredini obnoxia eſt: templorum ædificijs accommodari conſueuit. Auctor eſt Theophraſtus. Vitruuius in libris de Architectura. & Plinius lib. 16. naturalis hiſtoriæ: qui narrat duo fuiſſe templa clariſſima: alterum Vticæ in Aphrica ſacrum Apollini: vbi cedrorum trabes ſuo tempore durabant: (ita vt poſitæ fuere à prima vrbis origine annis mille circiter ducentis.) Alterum in Hiſpania ſacrum Dianæ à Zacyntho aduectæ cum conductoribus anno ducenteſimo ante excidium Troiæ: cui pepercit Hannibal religione inductus, *iuniperi* trabibus adhuc ſua ætate durantibus. Iam vero inter excidium Troiæ & Plinij ætatem non multo pauciores quam mille quadringenti anni intercedunt: quibus ſi addas ducentos fiunt ſexcenti ſupra mille annos. Itaque non ſine cauſa hæc duo potiſſimum

mum genera materię petit Salomon ab Hiramo Tyriorum rege ad templi quod Domino ędificaturus erat cõſtructionem. Sed peculiariter Theophraſtus lib. 1. de ſtirpibus ſcribit *vtiliorem eſſe iuniperum ad rem ædificatoriam, tum ſubdialem, tum obruendam ſub terra*. durat enim, vt dicit, immunis putredine. Sed cùm Hieronymus rectè ſit interpretatus ארזים arazim in *cedrina*: rectè quoque ברושים beroſim in *cypreßina*: videamus an rectè verterit in *Archeutina* אלגומים algumim ſiue almugim: nam vtrumque legitur ex illorum conſuetudine: qui plærumque literas & ſyllabas inuertunt. Quod ſi rectè interpretatus eſt hoc in loco: perperam in. 3. Reg. c. 10. trãſtulit. *Sed & claßis* inquit *hiram attulit ex ophir ligna thyina multa nimis: fecitque rex de lignis thyinis fulcra domus domini*. & paulo poſt. *Non ſunt allata huiuſcemodi ligna thyina neque viſa vſque in præſentem diem*. Huius quoque materiæ meminit Ioannes in Apocalypſi capit. 18. *Omne*, inquit, *lignum thyinum & omnia vaſa eboris, &c*. Aut igitur in alterutro loco mendum eſt librariorum, aut in Paralipomenis ſpeciem pro genere poſuit: in tertio Regum ipſum tantum genus lignorum. Sunt autem *ligna thyina*, quæ odorem optimũ ſpirant, qualis eſt cedrus, cypreſſus: & de quo nunc agitur *iuniperus*, qua nulla eſt arbor odoratior:

dicta *Thyina* à θυόω verbo græco, quod eſt *odorem emitto*. Eſt tamen quædam ratio quæ nobis perſuadere poſſit *algumim* non eſſe ἄρκευθον hoc eſt *iuniperum*, quod pro *iunipero* Hebræi vocabulum habent proprium. ſ. rothem. vt in 3. Regum volumine cap. 19. *Cum veniſſet inquit Helias & ſediſſet ſubter vnam iuniperum*. & paulo poſt. *Et dormiuit in vmbra iuniperi*. quibus in locis רתם rothem legitur. Eodem nomine fuit vna ex duabus & quadraginta manſionibus: de quibus in libro Numerorum cap. 33. *de Aſeroth* inquit *venerunt in rethma: profectique de rethma, caſtra metati ſunt in Rhemonphates*. Nam רותם rothem & רתמה rithma ex eadem origine idem ſignificant: hoc eſt *iuniperum*: ſolaque habitudine differunt. Hieronymus in epiſtola ad Fabiolam de quintadecima manſione: *Rethma* inquit *transfertur in iuniperum hoc eſt* ἄρκευθον. Idem quoque author in tranſlatione iuxta hebraicam veritatem in pſalmo. 119. pro eo quod nos ex editione Luciani martyris habemus. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis*: ipſe cum *carbonibus iuniperorum* interpretatus eſt: pro eo quod in Hebræo רתמים Rethamim habetur. Sed quod *rethamim* ab eo quod eſt *rothem* ſiue *rethma* inclinetur: nemo mirari debet; cum Hebræi huiuſmodi inflexionibus plærunque vtantur.

CAP.

CAPVT II.

Artemon quid.

LVcas in Apoſtolica hiſtoria deſcribens tempeſtatem illam qua Paulus Apoſtolus fuit in mari deprehenſus: *Leuato* inquit *artemone ſecundum auræ flatum tendebat ad litus.* *Artemonem* omnes interpretantur, veli quoddam genus eſſe: idque videtur ordinis contextus inſinuare: ſed nullo authore probant. Vitruuius certe in libro de architectura. 10. trocleam eſſe dicit ad ſubleuanda onera excogitatam. Immo vero machinam quæ tres habeat trocleas: quod latinum eſſe vocabulum his verbis oſtendit. *In radice* inquit *machinæ collocatur tertia troclea, eam græci ἐπάγοντα: noſtri artemonem appellant.* Iſidorus dictionem eſſe græcam male putat: cum per. th. aſpiratum debere ſcribi præcipit. Nulla enim dictio latina per th ſcribi poteſt: ſed neque per aliquam aliam conſonantem aſpiratam. Nec obſtat quod Lucas in græco eo vocabulo vtitur: Nam & græci multa vocabula cum ipſis rebus à Romanis acceperunt: neque id tantum nominibus proprijs, ſed etiam appellatiuis. quod licet videre in Dioſcoride: Galeno: Paulo Ægineta: Plutarcho: Strabone: alijſque Romanarum rerum ſcriptoribus. Quid quod illi qui cum Paulo vehebantur, magna ex parte Romani erant: atque etiam

nauis ipſa forte Romana vt credibile ſit illos Romanè fuiſſe locutos: & Lucam vocabulo Romano vſum. Meminit *Artemonis* Iabolenus libro vltimo Digeſtorum in titulo qui eſt de verborum ſignific. l. malum. *Malum* inquit *nauis eſſe partem: artemonem non eſſe, Labeo ait.*

CAPVT III.

Azotus pro aſdod.

MIrantur Hebræi neque poſſunt reperire quenquã, qui poſſit cauſam reddere, cur ſeptuaginta primùm interpretes: atque deinceps illi qui ſacram ſcripturam interpretati ſunt; quaſdam literas in alias quæ videbantur multum diſpares, immutarint: vt quod apud illos legitur אשדוד aſdod per ſd. literas, quæ eſt ciuitas Palæſtinæ nobiliſsima: cuiuſque ſacra ſcriptura toties meminit: quid venit in mentem non modo ipſis interpretibus, verum etiam ſæcularum literarum ſcriptoribus, vt pro *aſdod azoton*, hoc eſt ſd in z mutarent. Atque è contrario pro eo quod illi habent עזרא Ezra, quo nomine fuit nominatiſtimus ille ſcriba legis, per z literam, ipſi *Eſdras* per ſd interpretentur. aut quid ſimile habent ſd cum z, aut z cum ſd: vt alterutræ pro alteris ponerentur. Atqui ſi reduxerimus ad memoriam, quod in libello de poteſtate literarum ſcripſimus, omnis cauſa dubitandi

bitandi fuerit ſublata. Dicebamus ex Græcorum authoritate, quibus z litera cum Hebræis communis eſt: hanc literam compoſitam eſſe ex ſd: atque in pronunciatione tantundem pollere. Quem vero ſonum litera per ſe habeat, illic oſtendimus. neque enim is eſt, quem tempeſtatis noſtræ homines græci & latini putant, & qui à vulgo profertur, ſed alius multum diſsimilis ad z literæ ſonum proxime accedens. Quid igitur mendoſi, ſi eiuſdem poteſtatis literę alię in alias mutatę ſunt? Quamquam id non potuiſſe nec debuiſſe fieri in eodem opere eſt à nobis diſputatum, cùm de x litera diſſerebamus: quod apud Hebræos quoties duæ conſonantes inter duas vocales obuenerint, prior ad præcedentem, ad ſequentem poſterior pertinet. quare priori apicem ſeba ſupponunt, vt illud ipſum oſtendant. Atqui ſi *azotus* per z ſcribatur, manifeſtum eſt totam illius vim ſequenti vocali incumbere: cum apud Hebræos diuiſa ſit. & ſi rurſus *Ezras* per ſd ſcribatur ex ordine conſonantium apud græcos & latinos, ſd ad ſyllabam ſequentem pertinebunt.

CAPVT IIII.

Aurichalcum.

IN Apocalypſi Ioãnis Ca. 1. legitur. *Et pedes eius ſimiles Aurichalco ſicut in camino ardenti.* Sed antequam de *aurichalco* ſiue *orichalco,*

cho, diſſeratur de tranſlationis puritate diſputandum eſt. Nam in græco non ὀρέιχαλκον ſed χαλκολίβανος habetur, quod verbum ex verbo latinè valet ęreum ſiue maſculum thus. Sic enim apud gręcos χάλκεον pro maſculo & forti accipitur, quemadmodum apud latinos æreus ſiue æneus ſiue aheneus, vt apud Horatium in 3.ca.

Incluſam Danaen turris ahenea.

Et apud eundem in pri. Epi.

Hic murus aheneus eſto:

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Quod vero *thus* ſit potius intelligendum quã *orichalcum* ſatis oſtendit quod ſubditur: *ſicut in camino ardenti*, ac ſi dicat quaſi thus in igne. *Thus* autem accipere debemus non hoc noſtrum adulterinum quod ſpirat ſurdum neſcio quid turbidumque: ſed quod affertur nunc in Hiſpaniam ex Arabia, Sabæa atque Carmania. Id enim igni impoſitum cum ſuauiolentia puras atque fumo defæcatas corripit flammas. Hinc apud Orpheum in hymnis frequens eſt titulus *chalcolibanos* in Apollinem, in Latonam alioſque deos. i. maſculum thus ſiue maſculi thuris ſacrificium, quẽadmodum apud Verg. in Bucolicis legimus.

Verbenaſq; adole pingues, & maſcula thura.

Cur vero interpres ex χαλκολιβάνῳ orichalcum verterit: illam ſuſpicor fuiſſe cauſam: quod

quod cum λίβανος duo ſignificet, lachrymam ex virga thurea, & montem Phœnices atque Decapolitanæ regionis communem, ex χαλκὸς quod eſt *æs* & ὄρος *mons*, *orichalcum* eſt interpretatus: ac ſi diceret æs montanum. Nam quod vulgo dicitur *aurichalcum* nulla ratione defendi poteſt: tum ex illo principio omniũ conſenſu recepto, non ſolere fieri compoſitionem ex latino & græco: tum etiam auctoritate & ratione. Ratio autem illa nimirum eſt quod in carmine ſemper reperitur prima breuis. Vergilius. 12. Æneid.

Alboque orichalco
Circumdat loricam.

Horatius quoque in poetica,

Tibia non vt nunc orichalco iuncta tubæque
Æmula.

Aurichalcum vero non poſſe dici, Sextus Feſtus Pompeius auctor eſt. *Aurichalcum* inquit *quidam putauerunt compoſitum ab ære & auro. Sane vero orichalcum dicitur quod in montoſis locis inuenitur. mons etenim græce* ὄρος *appellatur.* Quam rationem ſecutus interpres *orichalcum* ſiue *aurichalcum* poſuit pro *maſculo thure* reſpiciens alteram videlicet *libani* ſignificationem, hoc eſt montis Syriæ Palæſtinæ. Poſt huius obſeruationis meæ adnotationem, cum ad curiam regiam proficiſcerer diuerti paululum ab itinere vt Ioannem Fonſe-

cam Pallantinum epiſcopum obiter ſalutarem, qui eo tempore Pallantiæ morabatur. Cumque more meo illius vrbis bibliothecas excuterem, luſtraremque cœnobium diui Pauli, quod à fratribus dominicis habitatur, incidi in vetuſtatis adorandæ commentarios ſuper Apocalypſim Ioannis, ab incerto quodam auctore ſcriptos; in quibus huiuſmodi erat lectio: *Et pedes eius ſimiles aurichalco libani*. Quæ verba in ipſius auctoris expoſitione iterum atque iterum repetuntur. Interpretaturque *libanum* in *albedinem*, cùm à ſenſu literali diſcedit. Sed bone IESV quanta eſt veritatis vis: quæ quanquam vndique labefactetur, ſemper tamen relinquit ſui veſtigia, & quaſi anſas quaſdam, per quas ad illius inquiſitionem demonſtrationemque perueniri poſſit. Nam quis ex lectione illa non videt ab interprete locum illum ſic principiò fuiſſe conuerſum. *Et pedes eius ſimiles chalcolibano*, id eſt, maſculo thuri, deinde ab ignorantia librariorum adiectum fuiſſe *auri* & detractum *libano*, ſiue *libani*: quod habet lectio codicis vetuſti, tametſi vitioſe ſcripta pro *libano*. Niſi quis malit imperitiæ arguere interpretem: qui cùm *libanus* duas, vt diximus, habeat ſignificationes, hoc eſt thuris lachrymarum, & montem paleſtinæ: relicto ſenſu quem auctor intelli-

intelligebat : alterum malè cohærentem elegerit in hunc modum vertens. *Et pedes eius ſimiles chalco*, id eſt, *æri libani*, id eſt, ex monte illo Paleſtinæ conflato. Atqui Græci in ijs commentationibus quas nobis videre contigit omnes exponunt χαλκολίβανον pro ἀρσενολιβάνῳ, ſiue ἀῤῥενολιβάνῳ, id eſt, pro maſculo thure.

CAPVT V.

Bethſaida pro Betheſda.

PRO eo quod in Ioanne cap. 5. nos habemus. *Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida* : in Græco Euangeliſta ſic ſcripſit. *Eſt autem Hieroſolymis in probatica* : aut quemadmodum codex Pallantinus, & alij habent *ſuper probatica*, tunc interpungendo ſequitur : *piſcina quæ cognominatur hebraice betheſda*, vt ſint apud latinos tria errata. Primum quod *in* præpoſitio eſt detracta. Alterum quod *probatica* & *piſcina* perinde videntur eſſe coniuncta ac ſi eſſet adiectiuum cum ſuo ſubſtantiuo: cũ ſint, vt diximus, interpungẽda. Tertium quod pro *Betheſda* legitur *Bethſaida*. Eſt autem Euangeliſtæ ſenſus, quod Hieroſolymis in *probatica*, (hoc eſt in ſepto ſiue ouili ſiue pecuario, in quo pecudes cogebantur vt inde diſtraherentur ſiue ad ſacrificiũ ſiue ad lanienã) eſt piſcina, quę cognominatur hebraice

braice אשרא בית beth-eſda. Itaq; probatica ſubſtantiuè accipitur ab eo quod eſt *probaticus.a.vm.* quod προβατοι eſt ouis : vt ſit *hæc probatica.æ.* manſio ouium: quemadmodum dicimus baſilicam & regiam domum regis citra nominis ſubſtantiui expreſſionem. *Betheſda* vero interpretatur domus effuſionis: quoniam in eam piſcinam confluebant aquæ ſiue pluuiales ſiue ductiles. אשרא *Eſda* namque & אשדוד *Aſdod*: quo nomine prius fuit dicta quæ poſtea ſit cognominata *Azotus* ciuitas nobiliſſima Palæſtinæ: interpretatur *effuſio*. Sunt autem, vt Euſebius Cæſarienſis atque diuus Hieronymus ſcribunt : in ea domo duo lacus: quorum vnus hibernis pluuijs adimpleri ſolet: aliter mirum in modum rubens quaſi cruentis aquis antiqui in ſe operis ſigna teſtatur. Nam vt inquiunt hoſtias in eo lauari ſolitas tradunt. Atqui in 2. Paralip. libro capit. 4. vbi de templi ædificatione agitur: non in lacu, ſed in conchis æneis lauari conſueuiſſe hoſtias traditur. *Fecit inquit Salomon conchas decem, & poſuit quinque à dextris & quinque a ſiniſtris, vt lauarent in eis omnia quæ in holocauſtum oblaturi erant.* Sed credibile eſt poſt templi euerſionẽ non in conchis illis quæ à præfecto regis Aſſyriorum ſiue alterutro ex illis erant iam Babylonem tranſlatę: ſed in piſcina illa lauari ſolitas eſſe hoſtias.

ſtias. Neque enim in eo nũc laboramus, an in piſcina lauari conſuetum fuerit hoſtias immolandas, ſed vt vindicetur reſtituaturque in priſtinam atque proinde veram ſcriptionem locus ab incuria librariorum vitiatus, qui nominis vicinitate decepti, pro *Betheſda* ſcriptitarũt *Bethſaida*. Cũ ſit בית צירא *Bethſaida* Galilææ ciuitas prope Geneſareth ſtagnum, Petri, Andreæ, & Philippi apoſtolorum patria: interpreteturque *domus venationis*. *Betheſda* vero vt diximus, *domus effuſionis*, aquarum videlicet eo influentium. Quare illi qui piſcinam *Bethſaidam* domum venationis interpretantur, dupliciter peccant: & quod vitiatam lectionem non agnoſcunt: & quod alieni nominis interpretationem ſenſui accommodãt quem ipſi fingunt: non qui lectioni debetur.

CAPVT VI.

Bethdagon.

IN primo Reg. volumine. c. 5. legimus his verbis. *Tulerunt Philiſtijm arcã Dei: & intulerunt eam in templũ Dagon, & ſtatuerunt eã iuxta Dagon*, & quæ ſequuntur. Cecidit autem *Bethdagon* in ſortẽ tribus Iuda, vt colligitur ex libro Ioſue. Fuitque in collimitio duarum tribuum, Iſſaſchar videlicet & Zabulon: vt in eodem volumine habetur. In primo præterea Machabæorũ. *Intrauerunt* inquit *in Bethdagon idolum ſuũ vt ibi ſe liberarent*. & ſequitur. *Templum*

plum dagon & omnes qui fugerant ad illud, Ionathan ſuccendit igni. Qui hunc locum enarrauere: nihil aliud dicunt quã דגון *dagon* ex lingua Syriaca interpretari *piſcem*. & בית דגון *bethdagon* eſſe *domum* ſiue *tẽplum piſcis*: ſed quis ſit deorũ apud indigenas ignorant. Sed nos dicimus *Dagon* eſſe quæ ſit alio nomine *Dercetus*. Strabo, Plinius & Macrobius tum A'θάραν, tũ A'τεργάτιν eãdem vocant. Quantumque cõiectura poſſumus aſſequi eadem eſt cognominata *Aſtarte*. de qua in 3. Regum volumine Cap. 11. *Colebat* (inquit) *Salomon Aſtarten deam Sidoniorum*. Sed de *Aſtarte* aliàs. Nunc de *Derceto*. Narrat Diodorus Siculus in 3. Bibliotheces libro: fuiſſe non longe ab Aſcalone vrbe Syriæ clariſsima, ſtagnum piſcibus refertum: atque iuxta illud inſigne templum *Dercetus* facie hominis ac reliqua corporis parte piſcis effigie. Cuius figuræ cauſam hanc fuiſſe dicunt. Venerem vt adoleſcenti ſacrificanti ſibi gratificaretur, inieciſſe animum Decerto, vt illius voto ac precibus acquieſceret. Atque deinde ex eorum cõgreſſu natam eſſe puellam, quæ poſtea ſit cognominata *Semiramis*, quæ fuit coniux Nini aſſyriorum regis nominatiſſima: Nympham vero & pudore admiſsi concubitus, iuuenem abegiſſe, & infantem in loca deuia atque aſpera exponendam curaſſe: ſe vero in ſtagnum illud dediſſe

præci-

præcipitem: atque ita in piſcem (quali figura diximus) transformatam. Vnde & Syrij piſcibus non veſcuntur quin potius illos quaſi deos colunt. Templum vero quod illi deæ dicatum eſt, cuiuſque Diodorus meminit, id eſt, quod in ſacris litteris appellatur *Bethdagon*. de quo Euſebius atque Hieronymus in lib. de Topographia ſacræ ſcripturæ, dicunt fuiſſe prope Aſcalonem inter Iamnam & Lidã quæ poſtea ſit cognominata *Dioſpolis*, nõ longe ab Azoto. Nam hæ quattuor vrbes Paleſtinæ intra Iudeæ ambitum quadraginta millium paſſuum continentur. Quod cum ex multis alijs ſacræ ſcripturæ locis: tum ex primo Machabæorum libro manifeſte colligi poteſt. *Succendit* (inquit) *Ionathas Azotum, & mouit inde caſtra & applicuit ea ad Aſcalonem.* Tranſmutationis autem *Dercetus* in piſcem, & illius filiæ *Semiramidis* in columbam, Ouidius in 4. Metamorphoſeos meminit.

Incipit & dubitat de te Babylonia narret
Derceti: quã verſam ſquãmis velantibus artus,
Stagna paleſtini credunt mutaſſe figuram:
Aut magis vt ſumptis illius filia pennis,
Extremos altis in turribus egerit annos.

CAPVT VII.

A Bimatu & infra. *Matthæi 2.*

Iacobi Conſtantij Fanenſis error reprehenſus.

CVm ex mea conſuetudine bibliopolia, quæ Salmanticę cōplura ſunt, excuterē, forte fortuna incidi in obſeruationes quaſdā Iacobi Conſtantij viri plane literatiſſimi: ſed quem antea nomine tantum nouerā. Fuerunt autē obſeruationes illæ numero cētum: quas idcirco voluit gręce hecatoſtyn potius quam centuriam latine cognominare. harum duæ priores, ac totidem poſteriores pertinent ad quoſdam locos diuinæ ſcripturæ. Sed cū reliquæ omnes multū eruditionis rerū ſæcularium contineant; atque vt ingenuè fatear, omnes illas mihi facile perſuaſerit; in quatuor tantum quas dixi, hominis prudentiam deſideraui: qui in ipſo ſtatim initio, ac deinde in operis clauſula, vbi ex artis rhetoricę pręcepto conſuetū eſt optima quęque diſponi, frigidiora & pene puerilia collocarit: vt quod in prima obſeruatione quaſi in re magna ac perdifficili cōmoratur oſtendēs eos aberrare, qui in Matthæi Euangelio c.2. legunt quod *Herodes occidit omnes pueros ab imatu & infra*: putantes non *bimatu* ſed *imatu* eſſe legendum: ita vt b. litera non ad præpoſitionē pręcedentē ſed ad dictionē ſequentē pertineat: quod nec pueri quidē ignorant qui nondum ære lauantur. Aut oſtendat mihi Conſtantius oportet quis hoc vnquam dixerit, aut ſi harum rerū tā curioſus eſt; illud potius ex Lauren. Valla debuit adno-

adnotare in verbis illis non infra ſed intra debere legi: propterea quod infra conditionem & locum deſignat, vt infra omnes homines, infra tectum: intra vero numerum & ſpatium, vt intra octo dies, intra vrbis muros.

CAPVT VIII.

Cameleopardalis.

IN ſecunda lege hoc eſt Deuteron. cap. 14. Inter animalia quorũ eſus Hebręis permittitur Camelopardalim numerat, *hoc eſt animal* inquit *quod comedere debetis, bouem, ouem, capram*, & ſubdit *Camelopardalim*. Sed cum inter animalia immunda *camelus & pardus* reponãtur etiam ex genere: tum etiã nominatim *camelopardalis* quaſi munda quadrupes eſitanda illis proponitur, cum pręſertim paulo poſt dicturi ſimus quod cornua geſtet: bifidã vngulã habeat, atque ex conſequenti altera parte dẽtata ſit ruminetque & ſæuo pingueſcat: quæ omnia adeſſe debent quadrupedi quæ ſit hebræis veſcẽda. Quod vero dicitur *Camelopardalis* nõ ita accipiendũ eſt quod ex cõmiſtione duorũ animaliũ diuerſi generis ſit propagata vt quidam male interpretantur illud Horatij ex 2. epiſtolarum volumine.

Diuerſum confuſa genus Panthera camelo:

Sed quod capite camelum, varietate colorum pardum ſiue pantheram præſeferat. Plinius l. 7. c. 18. *Camelorũ* inquit *ſimilitudo in duo transfertur*

fertur animalia. Nabim Æthiopes vocant collo ſimilem equo; pedibus & cruribus boui, camelo capite, albis maculis rutilum colorem diſtinguentibus: vnde camelopardalis dictatoris Cæſaris Circenſibus ludis primum viſa Romæ. Ex eo ſubinde cernitur aſpectu magis quam feritate conſpicua, quare & ouis feræ nomen inuenit, hæc Plinius. Varro quoque de lingua latina. *Camelus* (inquit) *ſuo nomine Syriaco in latinum venit vt Alexandria camelopardalis nuper adducta: quæ erat figura vt camelus; maculis vt panthera, hoc eſt, pardalis; quam enim nos pantheram Græci pardalim vocant.* Panther vero apud Ariſtotelem aliud eſt à panthera ſiue pardali. Panther namque (Theodoro interprete) *hoc eſt, lupus canarius, cæcos parit catulos luparum ritu numero cũ plurimum quattuor.* Galenus quoque; *quidam* (inquit) *adeo beſtiales ſunt, vt leonum & pantherarum, item canum & pantherum & vulpium carnibus veſcantur.* Pardus vero quod ſit animal, aliubi dicetur. Nunc ad *Camelopardalim* redeamus. Heliodorus libro Æthiopicon. 10. ſcribit æthiopum regi ab Auxomitarum legatis hãc feram dono datam. *Poſtremò* (inquit) *acceſſere Auxomitarum legati: & cum alia munera obtulerunt, tum in primis animantem quampiam inuſitata ſpecie, naturaque, cuius ad magnitudinem cameli proceritas, color pelliſque pantheris*

maculis

maculis veluti florentibus variegata, poſtremæ infra aluum partes humi ſubſidebant ſicuti in leonibus videmus: humeri pedeſque priores atque item pectus præter cæterorum membrorum rationem procera: tenuis ceruix & quæ de reliqua corporis mole in olorium collum ſe extenderet. Camelo caput ſimile, maior ipſo pene duplo, quam Libyſſæ ſtruthi. Subſtrictoſque velut oculos torue motans conniuebat, inceſſus autem longè animantium cæterarum terreſtrium, vel aquatilium diſsimilis. Neque enim viciſsitatim crura ſimul, ſed dextra pariter dehinc ſiniſtra vtraque agitabat: cumque his ſuſpenſa proferebat latera tractu motuque tam facili, vt eam quo vellet tenui capiſtro vertice deuincto, veluti fortiſsimo vinculo magiſter perduceret. Hæc (vt eſt conſpecta animans) omnem continuò multitudinem obſtupeſecit, ſpecieſque nomen inuenit ex ijs, quæ præcipua in corpore ſit, vt ex tempore eam populus Camelopardalim appellaret. Dion quoque & ipſe autor Græcus. 43. Romanæ hiſtoriæ libro conſentanea verbis Plinij ſcribit. *Camelopardalim* (inquit) *primus Cæſar Romam adduxit & populo oſtendit. Id animal cætera camelus, crura autem inæqualia habet, poſteriora prioribus magis breuia, vt à clunibus attolli ſenſim quaſi aſcendenti ſimile incipiat, corpuſque reliquum ſublime admodum cruribus prioribus ſuſtentatur: ſed ceruix in altitudinem pene peculiarem*

liarem ſe tollit: colore ipſo maculoſo ceu panthera: quo fit vt amborum promiſcuo vocabulo cenſeatur. Solinus præterea vbi de Æthiopib. eadem propemodū quæ Plinius de camelopardali tradit. Iulius Capitolinus in Gordianorum vita ſcribit Philippum Cęſarem qui primus omniū Chriſtianus fuit imperator, in ludis ſæcularibus cum milleſimum ab vrbe cōdita annum celebrauit, decem *camelopardalos* populo ſpectandos exhibuiſſe. Idē quoq; tradit Gordianum ſeniorem inter cætera quę in Quæſtura ſua populo rapienda conceſſit centū oues feras exhibuiſſe. Cornua vero hanc belluam habere, quod Plinius, Varro, Heliodorus, Dion atque alij ſiluerūt, animaduertit Angelus Politianus in *Giraſa*, ſic enim vulgus *camelopardalim* appellat, quam Sultanus, id eſt, Ægypti rex miſit dono Laurentio Medicæ Florentinorum principi. Quod ſi cornua geſtat, bifidaque eſt vt Plinius ſcribit, merito ex genere mundarum quadrupedum Moſes Hebræis mandendam eſſe permittit.

CAPVT IX.

Caſtores.

NAuigaturus Paulus apoſtolus ex inſulā Melitæ in Siciliā: id quod in Apoſtolorū actibus c. 28. legitur, conſcendit nauē Alexandrinam *cui erat inſigne Caſtorum ſiue Iouis filiorum.* nam vtraque litera inuenitur, & vtraque

que reſpõdet ei quod in græco legitur *παρασήμῳ διοσκόυροις*. Quod vero Hugo Cardinalis legit caſtrorũ, mendũ eſt manifeſtariũ ab inſcitia librariorũ profectum: qui pro Caſtorũ r interiecta caſtrorũ ſcriptitarunt. Quare illius friuolas expoſitiones omittamus. Fuerũt autẽ Dioſcori Caſtor & Pollux, dicti à ζεῦς διὸς quod eſt *Iuppiter iouis*: & *κόρος puer* ſiue *filius*. de quorũ nomine Menſis quoque apud Græcos eſt cognominatus, qui eſt fere apud nos Iunius. de quo in lib. Machab. 2. c. 11. *anno* inquit *centeſimo quadrageſimo octauo mẽſis Dioſcoron die 24*. Recta igitur interpretatio & quæ ſit verbum ex verbo, quamque venerabilis Beda agnoſcit legitque, eſt *Iouis filiorum*. Sed cũ *Dioſcori* duo ſint, hoc eſt *Caſtor & Pollux*, videamus an recte ſit interpretatus qui *διοσκόρους* vertit in *Caſtores*. Videtur autem ex cõſuetudine loquendi ſumpſiſſe interpres, vt vtriuſque dei nomen ſub vno cõplecteretur. Nam templum quod fuit Romę ex cõſortio *Caſtori & Polluci* dedicatũ, vnius tantũ *Caſtoris* dicebatur. Vnde facetè M. Bibulus C. Cęſaris in Ædilitate collega eueniſſe ſibi dixit, quod *Polluci*. Vt enim geminis fratribus ædes in foro conſtituta tantum *Caſtoris* vocaretur; ita ſuam Cæſariſque munificentiã vnius Cæſaris dici. Refert præterea Seneca in 1. libro Natural. quæſtionum: *quod ſi in media tempe-*

ſtate apparent, quaſi ſtellæ velo inſidentes, adiuuari ſe tunc periclitantes exiſtiment Caſtoris & Pollucis numina credentes. Atqui Plinius illas non *Caſtorem* & *Pollucem*, ſed vno nomine *Caſtores* vocat libro 2. Naturalis hiſtor. cap. *de Caſtoribus*. Has hodie in tempeſtate deprehenſi nautæ *ſancti Thermi lampadas* vocant: quas cum viderint pro certo habent frãgi è veſtigio tempeſtatem. Beda hunc locum exponens; *Gemini* inquit *Caſtores ſunt Caſtor & Pollux; quos ideo gentiles in mari deos vocant: quia in tempeſtate ſi ſolæ apparuerint in naui vel in antennis periculoſi, ſi vero geminæ proſperi curſus ſunt nunciæ.* Ego vero quemadmodum de geminis Caſtoribus ſimul apparentibus Bedæ aſtipulor: ita de ſolitarijs diſſentio. tunc enim non Caſtor neque Pollux: ſed *Helena* vocatur. De qua Plinius libro 2. *Diram illam ac minacem appellatam Helenam ferunt*. Et Papinius in 7. Thebaidis.

Non aliter, cæco nocturni turbine cori
Scit peritura ratis, cum iam damnata ſororis
Igne Teraphnæi fugerunt carbaſa fratres.

Inſigne igitur nauis Alexandrinę erant Caſtores ſiue filij Iouis: in quorum tutela nautæ eſſe putabantur, quemadmodum apud Virgilium in 5. Æneid. ſunt *Centaurus*, *Scylla Piſtris*, *Chimera*.

CAP.

CAPVT X.

Charadrius quid.

IN Leuitico cap. 11. & in Deuteronomio ca. 14. prohibet Deus per Moſen Hebræos veſci auibus immundis, inter quas numerat *charadrium*. Sed quæ auis, aut qualis *charadrius* ſit, non Hebræi quos conſului, non illorum locorum enarratores, non illi qui vocabula in ordinem Alphabetarium redegerunt, mihi ſatisfaciunt. Ariſtoteles libro de hiſtoria animal. 8. inter aues lacuſtres ſiue marinas illum nominat: *gauia*, inquit, *alba & fulica mergus & charadrius rupex iuxta mare victitant.* Idem lib. 9. *Colunt*, inquit, *& aliæ aues fragoſa, & ſaxa, & cauernas: vt quem à prærupti torrentium alueis charadrium appellamus. Praua hæc auis, & colore, & voce, noctu apparet, luce aufugit.* Theodorus Gaza *hiaticolam* interpretatur, quod in hiatibus & ſpeluncis habitet; nã χαράδρα tum torrens, tum alueus, tum vallis, tum ſpelunca ex Græco vertitur. Alio in loco χαραδριὸν in *rupicem* tranſtulit, quod in rupium cauernis habitet.

CAPVT XI.

Cynus pro *Chino.*

IN Daniele Propheta cap. 13. vbi hiſtoria Suſannæ ex tranſlatione Theodotionis inſerta ſcribitur, omnes codices vulgo habent: *Si vidiſti eam, dic ſub qua arbore videris. Qui ait,*

ſub

ſub cyno, pro eo quod eſſe debuit *ſub ſchino*. Iacobus Conſtantius contra Nicolaum Lyram, corruptam lectionem defendit: aſſeueratque non *ſchinum*, ſed *cinum* eo in loco debere legi: inuehiturq; acerrimè in Nicolaum, quod eo in loco legat *ſchino*, quam interpretatur *lentiſcum*: contenditque debere legi, *cino*, quam ipſe ſomniat eſſe ex lauri generibus vnũ. Excutiamus igitur, diiudicemuſque, vter illorum ſtet à cauſa potiori: conſtituatur inter eos cauſa, citentur partis vtriuſque teſtes. Conſtantius affert in teſtimonium contra veritatem locos deprauatos duos. Alterum ex calce quindecimi voluminis Pliniani: vbi numerantur lauri genera tredecim. *Acceſſere* inquit *genera: Cuius hanc ſylueſtrem laurum aliqui intelligunt*. vbi pro eo quod eſt *cuius* ipſe contendit debere legi, *cinus*: quod non Hermolaus eo in loco adnotauit: non Theophraſtus ſcripſit: non Cato in libris de re ruſtica, qui tria tantum genera lauri numerat. Non alius quiſpiam, qui dicat *cinum* eſſe lauri ſpeciem aut arboris per ſe genus. Alterũ affert ex Ouidio teſtimoniũ, qui libro Metamorphoſeos. 10. inter arbores quæ Orpheo aſtiterunt, enumerat *cinum*. Sic enim ipſe legit,

Et bicolor myrthus & bacchus cerula cinus.

Cum omnes libri tã inemendati quã emendati habeant *ficus*. Sed cõtra duos teſtes deprauatos

uatos atque aduerſarij malignitate corruptos, vnum Hieronymum, atque ipſam veritatem quę valet pro mille teſtibus producimus. Scribit enim in ipſius Danielis prooemio & in catalogo Eccleſiaſticorũ ſcriptorũ, Africanum qui vt ſacræ ſcripturę falſitatem conuinceret, multa contra Origenem argumenta cõgeſſit, inter cætera oppoſuiſſe Suſannæ hiſtoriam ab aliquo gręculo nugatore confictam: idque ex verborum etymologia probaſſe: quod vbi legitur apud nos ſub *ſchino*; quod ſequitur ſtatim, *angelus Dei ſcindet te medium*, totũ illud ex græco ſermone deſcẽdere. σχῖνος enim latine eſt lentiſcus. σχίζω vero interpretatur ſcindo. & ſubdit Hieronymus, *cuius rei nos intelligentiam noſtris hanc poſſumus dare: à lentiſco in lentem te comminuat angelus: aut lente pereas, aut lentus id eſt flexibilis ducaris ad mortem*. Emendemus obiter locum ſuperiori coniunctum, vbi pro *prino* legitur *pruno*. Eſt autem πρῖνος græce quæ ſit latinis *ilex*. ad quod nomen alludens Daniel ſubiungit. *Manet enim angelus Dei gladium habens, vt ſecet te medium*. πρίω enim græce ſeco interpretatur. Vnde ſubdit Hieronymus, de arbore *ilice* Danielem dixiſſe, *ilico pereas*. A πρίω igitur πρίσαι fecit ſicut à σχίζω σχίσαι. Non debuit itaque Conſtãtius ea quorum ignoratione tenebatur, attingere: nec violare naturæ legem, de qua Perſius.

Publi-

Publica lex hominum, naturaq́; continet hoc fas;
Vt teneat vetitos inſcitia debilis actus.

CAPVT XII.

Cœmiterium non Cimiterion.

VSurpatur crebro in ſacris literis dormire pro eo quod eſt mortem obire ſiue mori. Quale eſt illud ex euangelio. *Non eſt mortua puella ſed dormit.* Illud quoque. *Lazarus amicus noſter dormit.* Sumptum eſt autem verbum ex eo quod quemadmodum is qui dormit quandoque expergiſcetur: ita ex eo, quod in religione noſtra credimus & ſperamus: qui diem ſuum obiere, aliquando ex mortuis reſurgent. Significantius itaque noſtri mortuos dormire dicunt: quam Latinæ elegantiæ ſtudioſi, mortem oppetere, ſiue diem obire, ſiue agere aut efflare animam, ſiue mori, ſiue perire, ſiue interire. Hinc factum eſt, vt locus in quo mortui ſepeliuntur: quod latinè tum ſepulchretum: tum conditorium appellatur, à Græcis πολυάνδριον vt eſt, in Ezechiele, dicitur in noſtra religione κοιμητήριον Græcè: Latinè *dormitorium*, non *cimiterium*, vt homines indocti ſomniant, dictum quaſi *cinis terium*: quia ibi defunctorum cinis teritur. Neque à *cimis*, quod ipſi interpretantur *dulce & ſterni ſtatio*: ſed potius per œ diphthongon *cæmiterium* dictum: à κοιμάομαι quod eſt *dormio*: vt ſit quemadmodum

dum diximus, *cæmiterium, dormitorium.*

CAPVT XIII.

Collirida.

LIbro Regum ſecundo. cap. 6. *Partitus eſt* inquit *tam viro quam mulieri ſingulis colliridam panis vnam.* & in Leuitico cap. 6. *Colliridas olei admixtione conſperſas offerent* . Sed quid collirida ſit plane neſcitur. nam cũ græcum nomen videatur, græci non agnoſcunt eſſe ſuum. Latini diuinant, cum dicunt eſſe triangulum ſiue tortam panis . Nos pro eo quod legitur collirida ſuſpicamur vna litera immutata debere legi *collicida.* Eſt namque apud Græcos κόλλιξ, ικος, *panis ſubcinericius:* hoc eſt non in furno ſed in foco ſuper lapidẽ concalefacto deinde cineribus ſuper ingeſtis decoctus: quo genere coquendi panes, etiam nunc quidam ex Cantabris & Aſturibus vtuntur; putanturque huiuſmodi panes ad augendas vires plurimum conducere. Ab eo igitur quod eſt κόλλιξ, Ariſtophanes Comicus nomen finxit κολλικοφάγȣ : id eſt *collicis voratoris.* Hinc etiam in forma diminutiua *colliphium*, & *collicium* dicta. Iuuenal.

Luctantur pauci: comedunt colliphia pauci.

Martialis.

Et colliphia cum decem comedit.

Plautus quoque *colliphia* inquit *mihi.* A *collicio* iterum fit *collicida* : quod ſignificat etiam

panem ſubcinericium. Itaque apud authores ſacrarum literarum vbi crebra ſit mentio huiuſmodi panis, indifferenter alterum pro altero ponitur. vnde pro eo quod in 4. Regum cap. 19. Hieronymo interprete legimus *Reſpexit Helias, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis & vas aquæ*. Ambroſius in epiſtola ad Vercellenſes. *Helias* inquit *quem Dominus erudiebat ad virtutis profectionem, ad caput ſuum collicidam & vas aquæ repperit*. Idem quoque Hieronymus in quadam epiſtola ad Euſtochium pro eo quod interpretans dixit *ſubcinericius panis*, *Reſpexit* inquit *Helias & ecce ad caput eius panis collicidæ*. ſic enim legendum eſt, aut oſtēdant mihi vbi apud Græcos & Latinos *collirida* reperiatur, aut quid ſignificet.

CAPVT XIIII.

Daphne quid in libro Numerorum.

QVod in libro Numerorum cap. 34. legitur *de ſephama deſcendent termini in Reblata contra fontem Daphnen*, nemo ex ijs qui hunc locum enarrauerunt, quid ſit daphne, aut cur ab interprete adiectum expoſuit. Nicolaus Lira ocioſe dictum putat: dicitque in libris caſtigatis non haberi daphnen: cum e diuerſo libri potius inemēdati ſint, vbi daphne non habetur. Hieronymus certe in Ezechielem cap. 4. exponens obiter locum illum *de ſephama* inquit *id eſt de apamia deſcendent termini*

termini in Reblatha, quæ nunc Syriæ notatur Antiochia. & ſubdit: *Vt ſcias* (inquit) *reblam ſiue reblatham hanc ſignificare vrbem dicit contra fontem quem perſpicuum eſt ſignificare daphnen: de quo fonte lucus aquis abundantiſſimis fruitur.* Quod ſi Hieronymo non credis, at ipſi ſacræ lectioni credas neceſſe eſt, quæ in ſecundo Machabæorum volumine c. 3. hæc verba continet. *Onias*, inquit, *Sacerdos continebat ſe in loco tuto Antiochiæ ſecus daphnen*: Nam cũ ſint plures Antiochiæ; vna eſt ad Cragum flumen in Cilicia, altera iuxta Meandrum amnem in Caria, tertia Piſidiæ in Cappadocia, de qua Lucas in Apoſtolica hiſtoria c. 13. ad quarum differentiam hęc cognominata eſt Antiochia *ad daphnen*; quæ etiam aliarũ cõparatione Antiochia magna dicitur, & Antiochia quoque ad Orontem, quia ab Oronte fluuio ſecatur media. Ad *daphnen* ſiue ἐπὶ δάφνῃ cognominata eſt, vt ſunt auctores, Euſebius in locis ſacræ ſcripturæ, Hieronymus in Ezechiel. à luco quem Cn. Põpeius lauris & cupreſſis cõſitum dedicauit. Continebatur autẽ lucus ille ambitu octoginta ſtadiorũ: quo in loco Antiochenſiũ cõuentus agitabatur, vt auctor eſt Strabo. *Cupreſſorum daphnenſium* meminit Iuſtinianus Imperator li. 11. Cod. ti. de cupreſſis ex luco daphnẽſi. Capitolinus quoq; in Veri cæſaris vita. *Verus* inquit *Cæſar poſteaquam in*

 Syriam

Syriam venit in delitÿs apud Antiochiam ad daphnen vixit. Amianus præterea *tunc* ait *apud daphnen amœnum illud & ambitioſum Antiochiæ ſuburbanum*. Meminerunt præterea eiuſdem luci Volcatius & Lampridius. Fuit quoque Antiochię porta qua ibatur ad daphnen: de qua Hieronymus in vita beati Ignatij. *Reliquiæ* inquit *corporis eius Antiochiæ iacent extra portam daphniticam in cœmiterio*. Quod vero Euſebius & Hieronymus dicunt cognominatam *ad daphnen* hoc eſt *ad laurum* ſiue *lauretum* propter lauros & cupreſſos à Pompeio dedicatas in eo loco: ad ſuperiora potius tempora referendum eſt. Conſtat nãque vrbem illam fuiſſe conditam vel potius inſtauratam à Seleuco rege Syriæ, indito etiã illi nomine ex patre ſuo Antiocho qui fuit ex ducibus Philippi Regis Macedonum auctore Trogo libro. 15. & quod *ad daphnen* ſit cognominata indigenæ cauſam afferũt: quod *daphnen* quam poetę fluminis patrij appellant ipſi ſuam atque Ladonis ſui filiam fuiſſe dicunt. Philoſtratus lib. 1. *Apollonius* inquit *Antiochiam quæ magna cognominatur: & Apollinis Daphnei templum intrauit: cui Arcadiæ fabulam Aſſyrÿ tribuerunt Daphnen Ladonis filiam illic natam fluminis aſſerentes. Et fuit quidam apud ipſos fluuius quem Ladonem appellant & maxime omnium arborum laurum colunt ob memo-*

memoriam virginis Daphnes. Arrianus præterea à *Daphne* Ladonis fluminis filia dictam Antiochiam ad *Daphnen* putat: quibus in memorato loco Hieronymus aſtipulatur dicẽs. *Hic lucus à magno Pompeio: qui primus Romano imperio ſubiecit Iudæam conſitus eſt & ab eo iuxta fabulam poetarum Daphnes nomen accepit ob lauros & cypariſſos: quæ arbores in ipſo frequẽtiſsimæ ſunt*. Ex quibus infertur non fruſtra ab interprete fuiſſe adiectum *Daphnẽ* id quod Nicolaus putauit: ſed dictum per figuram prolepſim non modo poetis ſed etiam literarum ſacrarum auctoribus vſitatiſſimã. Quod vero ille dicit hunc locum eſſe qui apud Mattheum c.15. ſit magedan: & apud Marc. c. 8. Dalmanutha: & quod inde oriatur Iordanes: totum hoc commentitium eſt & pro libidine ſua confictum: Id quod ſuo in loco diſputabitur.

CAPVT XV.

Debora non delbora.

DVę reperiuntur in ſacra ſcriptura fœminæ cognomines: vtraque vocata eſt *Debora*. Altera Rebeccæ vxoris Iſaac nutrix, de qua Geneſ. c.35. *Eodem* inquit *tempore mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices Bethel ſubter quercu.* Altera prophetis vxor Lapidoth quæ poſt Aioth iudicauit populum Iſrael cum Barach: de qua in Iudicum

libro multa ſcribuntur.Sed in libris recentioribus vtrobique l.interiecta Delbora legitur, quod nulla ratione defendi poteſt. Tum quod apud Hebręos in hac particula l nuſquã eſt:quibus aſtipulantur omnes codices gręci, aut qui ex tranſlatione græca ad nos venerũt, atque etiam antiqui omnes libri Latinis, Lõgobardis, Gothiciſque inter Pœnos ſcripti. Tũ quod omnes Eccleſiaſtici authores דבורה debora,in apem interpretantur: cum *Delbora* per l literam interiectam nihil tale, ſed neque aliud quicquam apud Hebræos ſignificet.Eſt & alia ratio, cui nemo inuenire poteſt quid reſpondere queat. Remigius in Hebraicorũ nominum interpretatione, in quibus diſponendis alphabetarium ordinem exactiſſime proſequitur: poſt particulam *debon gad* eueſtigio ſubiungit *debora*. tum ſubdit *decla*.hoc eſt poſt nomina habentia b poſt e,apponit habẽtia c poſt e, vt nullus relinquatur locus ei quod *delbora* per l literã, quod eſt quẽadmodum diximus,nihili verbũ. Quare diſpungẽdum eſt l ex hac particula, velint nolint, qui vitioſa lectione tantopere delectantur.

CAPVT XVI.

Dextera.

SAlomon Prouerbior. c.3.enumerans pręmia quæ comitantur ſapientiã, *Longitudo* inquit, *dierum in dextera eius, & in ſiniſtra il-*

lius,

lius diuitiæ & gloria. In quibus verbis præter illum ſenſum qui eſt in promptu , ſubeſt recondita quædam per digitos computandi ratio , qua omnis antiquitas vtebatur . Quamuis enim per *longitudinem dierum* intelligatur interminabilis vitæ iucunda poſſeſſio , reſpicit tamen ad illud quod qui pertingebat annum vitæ centeſimũ,incipiebat in *dextra* manu cõputare,cũ in *ſiniſtra* ſuperiores numeraſſet. Vt de Neſtore,qui apud Ouidiũ dixerat;

Vixi annos bis centũ,nunc tertia viuitur ætas.

Iuuenalis ait.

Rex Pilius magno ſi quicquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit à cornice ſecundæ,
Fœlix nimirum qui per tot ſæcula mortem
Diſtulit,atque ſuos iam dextera cõputat annos.

Qui per digitos computandi modus cũ apud authores frequens ſit, neque adhuc ars ipſa vulgata eſt,pauca nobis ex Iſidoro atque Beda mutuanda ſunt,atq; graphice demonſtrandũ qua digitorum figura apud maiores noſtros numeri deſignabantur. *Minimus* itaque digitus mediæ volę appreſſus *vnũ* mõſtrat. *Medicus* hoc eſt minimo proximus in eadẽ vola affixus *duo*. *Medius* qui infamis & impudicus appellatur,eidẽ volę impreſſus *tria*. *Minimus* ſublatus reliquis duobus affixus,*quatuor*. *Medicus* ſublat⁹ quoq; medio impreſſo,*quinq;*. *Medicus* appreſſus medio & minimo ſublatis,*ſex*. *Mi-*

nimus brachiali hoc eſt radici manus applicitus, *ſeptem*. *Medicus* eidem etiam radici applicitus, *nouem*. Quemadmodum vero per tres digitos ſuperiores, numerum citra denarium oſtendimus: ita duobus reliquis hoc eſt pollice atque indice decuplationes ſimplicium numerorum deſignabimus. *Indicis* igitur ſummitas nodo pollicis medio admota, *decē* monſtrat. *Pollex* in partem manus domeſticam inflexus, *viginti*. *Pollicis* atque indicis ſummitates coniunctæ, *triginta*. *Pollicis* medius nodus medio indicis condylo impreſſus, *quadraginta*. *Index* ſuper ſummitatem pollicis circunductus, *ſexaginta*. *Pollex* atque index diuaricati atque diſtenti, *ſeptuaginta*. *Pollex* indici ac medio inſertus *octoginta*. *Indicis* apex radici pollicis admotus, *nonaginta*. Atque ita poſſumus tam numeros ſimplices quam compoſitos citra centum monſtrare alios alijs non impedientibus. Transferentes deinde ſupputationem in manum *dexteram*, *centum* deſignabimus, vbi fuerant *decem* in ſiniſtra. *Ducenta* vbi viginti. *Trecenta* vbi triginta. *Quadringenta* vbi quadraginta. *Quingenta* vbi quinquaginta. *Sexcenta* vbi ſexaginta. *Septingenta* vbi ſeptuaginta. *Octingenta* vbi octoginta. *Nongenta* vbi nonaginta. Deinde *mille* vbi monſtrabatur in ſiniſtra vnum: *bis mille* vbi duo: *ter mille* vbi tria. & ita deinceps

vſque

vſque ad *nouem millia*. Vlteriores numeri circunferendo manus per alias corporis partes, effingebantur. Ex hac graphica numerorum deſcriptione, poſſumus enodare complures authorum locos: qui videbantur inextricabiles. vt quod paulo ante Iuuenalis de Neſtore dicebat:

Sua dextra computat annos.

Quodque Salomon innuebat: *Longitudo dierum in dextra eius*. Quodque Plinius ſcribit: antiquiſſimi deorum Iani effigiem ita conſueuiſſe pingi, aut ex aliqua materia excudi, quaſi digitis ſignificaret *tercentum ſexaginta quinque*, qui numerus eſt dierum totius anni: quod Ianus idem deus habitus eſt qui ſit Sol: cuius annuum curſum totidem dies conficiunt. Quodque in Apologia ſecunda pro Magia ſcribit Apuleius. *Si triginta* inquit *annos pro decem dixiſſes: poſſes videri pro computationis geſtu erraſſe & quos circulare debueris digitos aperuiſſe* &c. Et quod Hieronymus primo in Iouinianum libro ex Euangelio ſcribit dicens. *Centeſimus & ſexageſimus & trigeſimus fructus quanquam de vna terra & vna ſemente naſcatur, tamen multum differunt numero. Triginta referuntur ad nputias. nam & ipſa digitorum coniunctio quaſi molli oſculo ſe amplectens ac fœderans maritum pingit & coniugem.* Diximus namque *triginta* pollicis ac indicis ſummita-

mitatibus in orbē circumductis deſignari, vt ſit pollex quaſi maritus, index vxor, ſe inuicē molli oſculo fœderantes. Et ſubdit Hieronymus. *Sexaginta vero ad viduas, eo quod in anguſtia & tribulatione ſunt poſitæ: vnde & ſuperiore digito deprimuntur, quantoque maior eſt difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abſtinere, tanto maius & præmium*. Nā diximus indice ſuper mediam pollicis vertebram *ſexaginta* formari. Tū idem Hieronymus ſubiungit. *Porro centeſimus numerus (diligenter quæſo lector attēde) de ſiniſtra transfertur ad dextrā, & ijſdem quidem digitis, ſed non in eadem manu quibus in læua nuptæ ſignificantur & viduæ, circulū faciens exprimit virginitatis coronam*. Diximus nāque *centum* in dextra manu deſignari eodem in loco vbi decem in ſiniſtra, & ijſdem in digitis quibus triginta & ſexaginta. Fitque ex circūductione illa orbis, quā Hieronymus coronam interpretatur, quæ ſit debita virginibus. Ambroſius preterea in ſermone quodā qui legitur in celebritatibus vnius confeſſoris pontificis, ex cōſuetudine rituque Romanæ eccleſiæ: cuius initium eſt, *Ad ſancti patris noſtri*, ad hanc numerandi rationem alludēs: *Quis huic mundo* inquit, *crucifixus & mortuus, quicquid laborauit de hac vita ad illam tranſtulit, & quaſi bonus ratiocinator velut ad centuplum manum porrigens, ſemper de ſiniſtra aliquid*
tranſ-

tranſmiſit ad dextram. Sic quoque illud Iuuenalis exponendum eſt,in quo plerique hęrēt,

Sua inquit,*dextra computat annos*.

De Neſtore videlicet loquens qui apud Ouidium dixerat,

Vixi annos bis centũ,nunc tertia viuitur ætas.

Quia diximus, quod vltra centum numeri in dextra manu formabantur. Sic etiã facile poſſumus intelligere illud ex Macrobio in Saturnalibus,quod de Iano ſcribit, qua manuũ digitorumque chironomia deſignare poſſet *ter centum illos & ſexaginta quinque dies* quibus annuũ ſpatium conficitur.Sic quod Cicero cõpluribus in locis ſcribit: *Ad digitos rem redire*. Sic denique quod ab initio diximus,Salomonis illud: *Longitudo dierum in dextra illius & in ſiniſtra eius diuitiæ & gloria*.

CAPVT XVII.

Drama, atis.

QVærunt à me quotidie multi non ſolũ ex Sacerdotum turba, ſed ex illorũ numero,qui ſe ſciolos putãt:quid ſibi vult *drama* illud,quod in celebritate virginis Deiparę,ac proinde in feſtis aliarum virginũ eccleſia Romana canit. *Ante thorum huius virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis*. Scribendũ nãque eſt non per ch,non per g,nõ per duplex m,vt in quibuſdã deprauatis codicibus legitur,ſed ſimpliciter *dramatis*.Atque vt

ſemel me ab hac queſtione abſoluā, volui hoc in loco ſcribere aliquid, quo deinceps percontaturos remittam. Eſt itaque *drachma* per ch, atque per primam declinationem inflexa genus monetæ quod appendit fere noſtri temporis argenteum numinum ſiue denariũ, hoc eſt vnciæ partem octauam: nam quod Hiſpani vocant *adareme*, dimidium eſt *drachmæ*. in quo ſignificatu accipienda eſt *drachma* illa quam in Euangelio mulier amiſit. Eſt & *dragma, atis* per g, manipulus ab eo quod eſt græce δράξ, ακὸς, id eſt *pugnus*. vnde & δραγματεύω, id eſt, *manipulos colligo*, in quo ſenſu legitur Pſalmo. 125. *Portantes manipulos ſuos:* pro quo in græco δράγματα habetur. Eſt & *dramma* per duplex m *curſus*: ab eo quod eſt græce δραμεῖν *currere*, & δρασμὸς *curſus* ſiue *fugā*. Sed *drama, atis* ſimpliciter ſcriptum, eſt repræſentatio fabularũ, in quibus introducũtur variæ perſonæ, vt in Comœdijs & Tragœdijs, & in poematis diuerſorum generum. Vnde & Seruius in Bucolicis *illud* dicit *dramaticum dicendi genus, in quo variæ inducuntur perſonæ,* dictum à δράω, quod eſt *ago* in ea ſignificatione qua Iuuenalis ait.

Vxorem Comœdus agit vel Dorida.

In quo ſenſu accipitur drama in verſu quem Eccleſia canit: *dulcia cantica dramatis*. Repræſentat namque eccleſia Chriſti nuptias cum matre

matre virgine, aut cum aliqua ex virginibus quas Euangeliſta vocat ſapientes, aut cum defæcatiſſima aliqua fidelium anima, aut cum ipſa denique Eccleſia. in quibus quidem nuptijs canendum eſſe *epithalamium*, hoc eſt, carmen nuptiale admonemur: quale eſt illud Salomonis in Canticis Canticorum, in quo introducuntur perſonæ repræſentantes tum ſponſam, tum ſponſum, tum vtriuſq; matrem, tum vtriuſque comites. Quem deinceps imitati ſunt Poetæ Latini & Græci, qui *epithalamia* quoque ſcripſerunt in nuptijs deorum atque hominum. Primus qui *epithalamium* cecinit apud Grecos authores fuiſſe dicitur Apollo in nuptijs Thetidis & Pelei; & deinceps alij quos & Latini ſunt ſubſecuti Catullus, Ouidius, Claudianus, Auſonius. Talia igitur carmina in ſpiritualibus nuptijs eſſe canenda nobis monemur: qualia ſunt illa ex Canticis Salomonis; *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo*: & *Læua eius ſub capite meo*: & *Nigra ſum, ſed formoſa*: & *Iam hyems tranſiit & receſsit*: quæ ſunt verba ſponſi & ſponſæ, quæ perſonę introducuntur ab authore; & hoc eſt quod Origenes in expoſitione illius operis dicit: *Epithalamium*, inquit, *Salomonis, quod in morē dramatis compoſitum eſt, id eſt, actionis vel repræſentationis diuerſarum perſonarum.*

CAPVT XVIII.

Electrum.

QVærebat à me nuper religioſus, vita & moribus diuũ Franciſcũ referens, qui & ipſe cœnobij Murgitani pręſul erat:.quid ſibi vellet *electrum*, id quod in Ezech. propheta c.1.legitur. *Splendor* inquit *in circuitu eius: & de medio eius quaſi ſpecies electri.*& rurſus. ca.8. *Et à lumbis & ſurſum quaſi aſpectus ſplendoris vt viſio electri.*Eramus tunc in aula perquàm reuerẽdi atque proinde clemẽtiſſimi Domini Frãciſci Ximenez Archiepiſcopi Toletani & Hiſpaniarũ Protomyſtæ, cui iampridẽ inueſtigandæ antiquitatis ſacrarum literarũ cura vel præcipua incumbit, & conquirendorũ voluminũ ad eam rem non minor diligentia. Antea igitur quã quidpiam quęſtioni reſponderem, videamus inquã, quando nos fortuna tali in loco iunxit vbi adeſt tãta copia eruẽdi res abſtruſas atque difficiles , quid authores Hebræorũ de *electro* ſentiant. Euoluimus itaque Hebræorũ Lexica atq; gloſſemata: nihilque offẽdimus pręter mera ſomnia eſſe, videlicet animalis ſiue angeli cuiuſdã nomẽ ,ſiue lapidẽ precioſum. Alij cõfitentur ingenue ſe neſcire quid ſit חשמל hhaſmal: id enim apud Hebręos noſtro *electro* reſpondet: inter quos eſt Rabbi Salomõ vir non minus rerũ quam verborũ diligẽs indagator. Nicolaus Lira putat

tat Hieron. immo cum Hieronymo ſeptuaginta interpretes non aſſecutos vim hhaſmal, cum *electrum* interpretãtur, quaſi in eruditione linguarum non debeãt præferri ſeptuaginta, quos Hieronymus in hac parte ſequitur, quibuſcunque alijs, nedũ Salomoni homini in re literaria nouitio, neque minus in ſignificatu verborum quã in eruendis ſenſibus frequenter hallucinãti. Itaque ego longe magis aſſentior ſeptuaginta, qui vt inquit Auguſtinus in 2. de doctrina Chriſtiana libro, tanta ſpiritus ſancti præſentia interpretati eſſe dicũtur, vt os vnum tot hominum fuerit: magis Hieronymo triũ linguarum peritiſſimo quã Nicolao cũ ſuo Salomone, quã omnibus Hebraicę linguæ recentioribus magiſtris. Sed cũ *electri* apud Gręcos & Latinos duo ſint genera, alterũ *naturale*, quod à Latinis *ſuccinum*, à Germanis *gleſſum*, ab Hiſpanis dicitur *ambar*: Alterũ *factitium*, quod ex auro & argẽto conſtat, in vtro ſenſu apud Ezechielem accipi debeat, diſputãdum nunc mihi eſt. Eſt autẽ *electrum* in priori ſignificatu lachryma defluens ex arbore gleſſaria in inſulis Germanię Septentrionalibus quas *electridas* ſiue gleſſarias vocant: quæ deinde congelaſcens ad lapidis duriciem peruenit. Virgilius in Bucolicis.

Pinguia corticibus ſudent electra miricæ.

Et Ouidius. 2. Metamor.

Stilla-

Stillataque ſole rigeſcunt
De lachrymis electra nouis.

Plinius lib. 37. his verbis ſcripſit: *Phaetontis,* inquit, *fulmine icti ſorores fletu mutatas in arbores populos lachrymis electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem, quem Padum vocamus, & eſt electrum appellatum, quia Sol vocitatus eſt elector ſiue electros:* additque multa de errore Græcorum circa electri originem. *Electrum factitium* dicitur, quod ex auro & argẽto conſtat: ita tamen, vt quinta pars argenti auro miſceatur: qualis eſt maſſa vnde aurei Ioannini excuduntur: *duplas* Hiſpani appellant. Plinius libro. 33. *vbicunque pars quinta argenti portio eſt in auro, electrum vocatur.* Silius lib. 1. Punicorum.

Electri gemino pallent de ſemine venæ.

Martialis.

Vera minus flauo radiant electra metallo.

Vergilius.

Tum leues ocreas electro auroque recocto.

Accurſius in *electri* expoſitione, plurimum aberrat, exponens enim illud Iureconſulti quod habetur de legatis tertio in lege Pediculus. *Vaſis electrinis legatis nihil intereſt, quantum ea vaſa de quibus quæritur argenti atque electri habeant: ſed vtrum argentum electro, an electrum argento cedat.* illud quoque de legatis primo. *Si quis putat auri appellatione electrum vel*

vel aurichalcum contineri. & illud ex Iuſtiniani Inſtitutionibus in titulo de rerum diuiſione. *Si diuerſæ materiæ ſint & inde propria ſpecies facta, vt ex auro & argento electrum.* Videtur autem *electrum* hoc metallicum, & ex eo appellatum, quod referat ac repræſentet *ſuccini* colorem ſplendoremque, vt ſit vero ſimillimum factitium electrũ, quod eſt poſterius, à naturali quod eſt prius fuiſſe cognominatum. Seruius Grammaticus in illud Vergilij: *Eſt electrum* inquit, *triplex, vnum ex arboribus quod ſuccinum dicitur, aliud quod naturaliter inuenitur, tertium quod fit de tribus partibus auri & vna argenti, quas partes ſi naturale reſoluas inuenies.* Sed de vtro electro Propheta intellexerit, dubitari poteſt. Mihi vero credibilius ſit de *ſuccino* intellexiſſe, quam de *metallico* vel ex eo quod ſit materia tranſlucens & perſpicua, & per quam ſimilitudo illa poterat tranſparere: quod aureæ materię non contingit. Vel quod Hebręi ſuum hhaſmal ad genus quoddam lapidum reducunt. Vel quod Hieronymus quodam in loco inſinuare videtur eſſe *ſapphirum.*

CAPVT XIX.

Euro aquilo.

NArrat Lucas in actibus Apoſtolorum. c. 27. de laborioſiſſima illa nauigatione Pauli circa Cretam, quod ingruit *ventus Typhonicus,*

phonicus, qui vocatur *Euroaquilo*. Quis *ventus Typhonicus* ſit, Ariſtoteles in tertio Meteorologicorum libro, pulchre oſtendit eſſe, videlicet ſpiritum ex nube detruſum: qui à parte poſteriori impulſus ab anteriori repulſus in orbem circumagatur neceſſe eſt: rapitque ſecum nõ modo res tenues, verum etiam magnas moles, inter quas lapides, arbores, animaliaque grandiora: dictus à τύφω quod eſt *incendo* ſiue *inflammo* & *infumigo*. Vnde conuincitur error Nicolai, Mamotrecti, Hugonis & omnium prope hunc locum exponentium, qui pro *inflammatione* quod in aliquo probato authore erat, ipſi *inflationem* transſcripſere. Sed aduertendum quod σκηπτὸς nomen eſt generale omnibus ijs quæ de nubibus cadunt. Nam ſi flamma illa quam nubium conflictus expreſſit, robuſtior fuerit incendio deferturque in terras, *fulminis* habet nomen. *Præſteras* nominamus cum flammarum minus in illis fuerit: ſed ſi ignitum non fuerit fulmen, *typhon* vocatur: quæ adhuc differt ab *ecnephia* & *exhydria*, quod *typhon* in orbem circumagitur, *ecnephias* rectus propellitur vterque ex ſicca exhalatione deciſus. *exhydria* vero cum imbribus nubem repente frangit. Ex Ariſtotele in Metoro. Apuleio in libro de mundo. Seneca quinto Naturalium quæſtionum. Plinio. 2. Naturalis hiſt. Quid vero ſit *euroaquilo*

aut

aut quare *typhon* cognominetur, non puto quenquam mortaliũ ſcire, quin potius ſuſpicor mendum fuiſſe librariorum, qui pro *euroclydon* quod in græco legitur, *euroaquilo* nihili verbum ſuppoſuere. Nã cum ſit *aquilo* vox latina, *eurus* autem gręca, quis talem compoſitionem auſus eſſet facere? Cũ pręterea ſit *aquilo* ventus ſpirãs media regione inter exortum æſtiuũ & ſeptentrionẽ, *eurus* vero perflet ab ortu hyemali, quæ cõpoſitio potuit ex vẽtis tam diſparibus coagmentari? Quid quod Ariſtoteles negat *typhonem* poſſe fieri ſpirante *aquilone*? *Borealibus* inquit *non fit typhon*, *nec niuoſis ecnephias*. quomodo igitur *typhon* potuit *euroaquilo* cognominari? Cũ igitur κλύδων apud græcos *procellam* ſiue *tempeſtatẽ* ſignificet, ἐυροκλύδωνα putat Lucam ſcripſiſſe cogominari vẽtum qui ſit *typho*, hoc eſt ſpiritum ex nube expreſſum, ſiue vt Plinius interpretatur vibratũ ab oriente hyemali vnde perflat *eurus*. Interpres vero cum nequiret latinè vim græcæ compoſitionis aſſequi, *euroclydon* reliquit, quod in *euroaquilonem* librariorum negligentia inuertit.

CAPVT XX.

Git ſiue melanthium quid.

AVdio viros triũ linguarũ peritos hebraicam dico græcã & latinã, nã cęteras nihil moror, in diſcuſſione illa quę ſub Pręſulis

noſtri Cardinalis Hiſpani cenſura propemodum cotidie ſit: in penſitandis interpretum varijs tranſlationibus hæſitaſſe nuper in illud Eſaiæ. cap. 28. *Seret git & cyminum ſparget*. & paulo poſt. *Sed in virga excutietur git & cyminum in baculo*, quod genus ſeminis eſſet illud, quod à Propheta dicitur קצח qetſach ab interprete græco μελάνθιον, à latino git. Medicorum vulgus ignorare videtur quid ſit *melanthion* ſiue *git*, cum in *nigellam* vertunt: non paruo generis humani detrimento, ſi alterum pro altero in medicamentis adhibeatur, ſitque tanta inter vtrumque ſemen diſtantia, quanta poteſt eſſe inter duas res diuerſorum generum: cum *nigella* ſit in genere zizaniorum, *neguilla* Hiſpanè dicitur, quæ plærunque aëris vitio tritico innaſcitur, & neſcio quid fatuum inſulſumque ſapiat, *git* vero inter fruges numeretur, cuius ſemen piperis ſaporem reddat, de quo Auſonius in monoſyllabis.

Eſt inter fruges morſu piper æquiparans git.

A Græcis tum μελάνθιον vt diximus, tum melaſpermon Plinio authore cognominatur, atque ſi Theodoro Gazæ in Theophraſto credimus, ἄνθεμον etiam dicitur, quando quibuſdam in locis ex *anthemone git* interpretatur. Sed nihil mirum vulgo ignorari *git*, cum Ioãnes Baptiſta Pius, cui hodie Bononienſes primas deferunt, deceptus literarum ſimilitudine pu-

ne putauerit eandem eſſe rem *git* & *zithum*. Eſt enim *git* ſemen quod Hiſpani vocant *axenuz*. *Zithum* vero poculum quod ex frugibus vt inquit Strabo, Ægyptus excogitauit. שכר Secar Hebraice, *ſerueza* vulgo dicitur. de qua Lucas in Euangelio de Ioanne Baptiſta, *vinum* inquit *& ſiceram non bibet*. Quod ſi per *nigellam* ipſi *git* intelligunt, velim mihi monſtrent, quo authore id aſſerant. Sed quæro nõ iam ab interpretibus linguarum peritis, ſed ab ijs ſacrarum literarum enarratoribus, qui reconditos ſenſus ex lectione Prophetica rimari conantur, quid ſibi vult Propheta cum duo hæc ſemina tam diuerſa & quidem bis ſubiungit hoc eſt *git* cum *cymino*. Neque enim fortuito ſed ex certa quadam ratione id factum videri debet. Tradunt namque qui rerum naturalium hiſtoriam ſcripſere eſſe *συμπάθειαν* & *ἀντιπάθειαν* hoc eſt *amicitiam* & *inimicitias* quaſdam non ſolum inter animalia ſentiendi quid iuuet aut quid noceat facultate prædita, ſed etiam inter res ſurdas omnique ſenſu caſſas, cuiuſmodi ſunt herbarum genera inter ſe concordiam ſiue diſcordiam agentium, vt *tritico* & *tiphæ*, *hordeo* & *auenæ*, quæ ſimul ſata fœcundius proueniunt, aut certe non ſe inuicem enecant. Ediuerſo *linozoſtis linũ orobanche eruum* ſtrãgulat. *Lupinus* præterea, *faba*, *vicia*, *lens*, *cicercula* pro ſter-

core ſunt aruis. Sed è cõtrario Virg. 1. Georg.

Vrit--- lini campum ſeges, vrit auenæ,
Vrunt lethæo perfuſa papauera ſomno.

Atque vt ex Tremelij authoritate ait Varro, *Solo virus ciceris obeſt, quia ſalſum eſt.* Natura igitur inter *git* & *cyminum* tanta eſt concordia vt ſimul ſata mirum in modum coaleſcãt, ſeque inuicẽ fœcundiora reddant, quod eleganter Columella in horto ſuo deſcribit. *Famoſaque tunc coriandra naſcuntur, gracilique melanthia grata cymino.* Non igitur ſine cauſa vt diximus propheta *git cymino* adnexuit, quãdo alterum altero lætatur pinguiuſque adoleſcit, atque in bonam frugem perducitur.

CAPVT XXI.

Gaius pro Caius.

INter c. & g. literas tãta eſt in prolatione affinitas & ſimilitudo vt non alia inter ſe diſtent quam exilitate & aſpiratione, quæ quidem affectiones, quemadmodũ in libello quẽ de vi & poteſtate literarum edidimus diſputatũ eſt, non poſſunt literas proprie in diuerſas ſpecies collocare. C. nãque tenuior atque exilior eſt. G vero ſpiſſior aſpiratiorq;. Ex quo fit, vt nonnũquam altera pro altera poni poſſit. Nõ id quidem temere, ſed aut per deriuationem, aut per interpretationem. Per deriuationem inquã vt quod *clades* dicatur à *gladio*. Per interpretationem vt pro eo quod grece di-

cè dicitur Κωβιὸς, κνωσσὸς, κνίδος per κ. litteram in principio & κύκνος in medio dictionis, latini per g. dicunt *gobio*, *gnoſos*, *gnidos*, *cygnus*. Atque è contrario pro eo quod illi dicũt γόρτυνη & γορτύνιος, nos *cortyno* & *cortinius* per c. literam ſcribimus & enunciamus. Nihil igitur mirandum eſt ſi pro eo quod Latini dicũt *Caius*, quod aliquando eſt prȩnomen, aliquando nomen propriũ, Paulus in calce Epiſtolæ quã ſcripſit ad Romanos, & in 1. Epiſt. ad Corinth. c. 1. & Lucas in hiſtoria Apoſtolica. c. 19. & 20. & Ioannes in Epiſt. 4. *Gaius* per g. litteram ſcriptitarint. Cauſa antem in hoc nomine vertendi. C. in G. illa nimirum fuit, quod quemadmodũ ſcribit Seruius in primũ Georgicorum Virgilij librũ, tria ſunt nomina apud latinos quæ ſcribuntur per. C. & proferuntur per g. hoc eſt *Cneius*. *Caius*. *Amurca*. pro *Gneius*, *Gaius*, *Amurga*. In hoc ergo nomine vertendo græci potius voluerunt transferre vocẽ quã literam, hoc eſt *Gaius* per Gãma, quã Caius per Cappa. Quod vero *Caius* nomen ſit latinũ nemini dubiũ eſt, ſignificatque *dominum*, vnde extant adhuc verba illa puellarũ ad viros in ſponſalibus contrahendis, *Vbi tu Caius ibi ego Caia*. hoc eſt *Vbi tu dominus, ibi ego domina*. Sed eſto græci *Gaius* per g. literã ſcribant, quæ ratio poterit excuſare Latinos cum ſuam dictionem ex græco rurſus interpretan-

 tur,

tur,quin per c. literam repræſentent tametſi quemadmodum diximus per.g.proferunt.

CAPVT XXII.

Herba fullonum ſiue Borith.

IN Malachia propheta Cap. 3. legimus. *Ipſe enim quaſi ignis conflans: & quaſi herba fullonum, & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui.* Quæ ſit hæc herba, nemo adhuc quod ego ſciam explicauit. Hebræi hoc in loco & in Hieremia c. 2. habent ברית borith. *Si laueris* inquit *te nitro & multiplicaueris tibi herbam Borith.* Vtrobique illi per Borith *ſaponem* intelligunt, quibus enarratores noſtri omnes propemodum aſtipulantur. Interpretes tamen quia *herbam* vtrobique adijciunt, ſuſpicamur *Borith* non ſimpliciter eſſe *ſaponem*, quod fere ex cinere calce vino oleoque conficitur, ſed herbam quæ ſit in ſermone Hiſpano *xabonera*, & cuius cineres in paſtillos redacti ſiue lixiuio ipſius cineres adhibiti maculas linteorumque ſordes abſtergunt. Siue igitur *Borith* ſit *ſapo*, ſiue *herba ſaponaria*, ſiue ſimpliciter *Smegma* quoddam quod vim purgandi ſordes habeat, recte cohæret vtriuſque prophetæ ſenſus. Quare non ſunt audiendi, qui *herbam fullonum* interpretantur illa *carduorum capitula*, quibus ad pectendas veſtes vtuntur lanarij, ex eo fortaſſe decepti quod putarunt *fullones*

eſſe

eſſe qui lanicium ad veſtes conficiendas exercent, *perailes* Hiſpani vocant; cum ſint potius qui veſtes laneas ſiue linteas abluunt. maculaſque & illarum ſordes abſtergunt. Martialis in diſticho cuius index eſt Strigiles.

Pergamus has miſit, curuo diſtringere ferro.
Non tam ſæpe teret lintea fullo tibi.

Vulpianus in titulo de furtis. l. itaque fullo. *Fullo* inquit *vel ſarcinator, qui polienda vel ſarcienda veſtimenta accipit*. In Marco Euangeliſta Cap. 9. *Veſtimenta* inquit *eius facta ſunt ſplendentia & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere*. Apologus eſt præterea phrygij fabulatoris Æſopi de *carbonario* & *fullone*, quibus in locis manifeſtum eſt *fullonem* non eum ſignificare qui lanicium exercet aut lanam carminans, aut ad telam perducens aut textam inficiens, ſed eũ potius qui veſtes ſiue linteas ſiue laneas abluit. Ex quo fit vt γναφέα per γ in lingua græcorum communi ſiue κναφέα per κ in Attica perperam verterint interpretes in *fullonem*; nec tam eum ſignificat qui inſtrumento illi ſenticoſo atque ex carduorum capitibus cõpacto floccos ex lanea tela decutit, quam eum qui nitro aut cymolia creta aut aqua ex ſaluiato, aut herba ſaponaria, aut alio quouis medicamento quod vim ſmegticam hoc eſt purgatiuam habeat, maculas ſordeſque veſtium

 abluit.

abluit. Quod ſi quiſpiam eſt tam pertinax vt poſitionem defendens afferat γναφέως etymon, à γνάφῳ, hoc eſt *carduo*, quoniã ea herba vtitur in decutiendis ex lanea tela floccis, vnde etiam ſit herba Plinio *Gnaphalion* à tomenti ſimilitudine, & quod eius villis pro tomẽto vtuntur: vt me ſemel ab hac quęſtione abſoluam, permittam illi γναφεὺς ſiue *fullo* ſit etiam ille lanearum telarum depexor, dũmodo ſciat in locis quos ſupra memorauimus longe aliud ſignificare.

CAPVT XXIII.

Ieſus.

QVod Hebręi יהושע Iehoſuah vocãt Gręci in *Ieſum*, Latini in *Ioſue* verterunt. Ratio autem tãtæ in eodem nomine diuerſitatis illa nimirum eſt, quod qui dictiones Hebraicas in aliam linguam interpretati ſunt, ad molliendam barbarę vocis duriciem, alij aliã rationem ſecuti quaſdam literas penitus expunxerunt, quaſdam adiecerunt, alias nonnũquam in alias commutarunt. Septuaginta namque interpretes qui primi ſacras literas ex Hebræo in gręcum ſermonẽ vertere ſunt auſi, ex Iehoſua Ἰησοῦν fecere, expuncta videlicet he litera cũ apice holẽ, quod & alijs cõpluribus in locis fecerunt, præcipuè in tribus illis literis, quæ ſunt Græcis & Latinis omnino incognitæ, hoc eſt, ע. ח. ה. *he*, *heth*, *hain*:

hain : quas aliquando retentis apicibus, aliquando cum ſuis apicibus diſpunxerunt : id quod diſcurrentibus per nomina Sacræ Scripturæ licet videre. Sed cur Græci huic particulæ terminationem in *vs* ſyllabam per *ou* diphthongon dederint : atque in eadem accentum circumflexum collocarint, non potui reperire quenquam qui mihi diceret. Sed cùm Græci nunquam circumflectant vltimas dictionum ſyllabas, niſi ſint contractæ ex ſynęreſi; neque ex quacunque ſynæreſi, ſed ex ea tantum quę ſit ex acuta & graui, cępi inquirere an eiuſmodi eſſent in Hebręo ſyllabę, quæ poſſent per ſynęreſim in vnam ſyllabam coagmentari, id quod manifeſtè deprehēſum eſt, cùm in יהושע *Iehoſua* in penultima ſit accentus acutus, & in vltima grauis, ex quibus contractis coaleſcit ſyllaba, in qua deſiderat circumflexus accentus collocari. Latini vero in interpretanda hac particula aliam rationem ſecuti ſunt: Nam in יהושע *Iehoſuah* ex prima ſyllaba apicem ſeba extriuerunt, & ex ſecunda aſpirationē, & ſic ex Iod & holē fecerūt יו Io. ע hain vero quod in fine erat cum ſubiecto patha verterunt in e. quod alijs quoque multis in locis factitarunt, vt in בתשבע bathſabah, bethſabe. בארשבע beerſabah, berſabe. שוח ſuahh, ſue. בלע balah, bale הושע hoſeah, oſee. Atq; ita conflatū eſt *Ioſue*

nomen accentu acuto in penultima. Cum itaque Ieſûs meram habeat græcam literaturam, neceſſe eſt per omnes caſus vltimam circumflectat eandemque ex conſequenti producat, atque accuſatiuum per n literam non per m finiat, & in ſumma ad proportionem græcorum ſimiliter cadentium declinetur. Cunque idem ſit Iησῦς græce quod *Ioſue* apud latinos, obſeruatum eſt, vt in omnibus codicibus qui ex græco venerunt in ſermonem latinum, nunquam dicatur *Ioſue* ſed *Ieſus*. In ijs vero quæ venerunt ex Hebræo tum *Ieſus* tum Ioſue ſit in vſu. Quare in toto nouo Teſtamento quia ex græco ſermone ad nos venit, nunquam *Ioſue* ſed *Ieſus* ſemper reperitur. Eccleſiaſticus quoque atque duo Machabęorum libri quia omnino græci ſunt, nunquam nominant *Ioſue* ſed *Ieſum*. In alijs veteris Inſtrumenti libris prope ſemper *Ioſue* nominatur, præterquam in Abbacuc & Aggæo & Zacharia & Ezra & Neemia. Illud quoque non eſt diſſimulandum, auctores qui ſequuntur Hebræos *Ieſus* protuliſſe biſyllabum, qui vero græcos triſyllabum, quoniam apud hos, i. ſemper vocalis eſt, apud illos vero in hac particula ſemper conſonans reperitur.

CAPVT XXIIII.

Ioannes pro Iona.

Pro

PRo eo quod Matthæus ſcribit de Petro Apoſtolo *Beatus es Simon Bariona*, apud Ioannem legimus, *Simon Ioannis diligis me plus his?* Ex qua lectionis diuerſitate neceſſe eſt alterum è duobus fateri, aut patrem Petri fuiſſe binominem, hoc eſt cognominatum *Ionam* & *Ioannem*, aut in alterutro Euangeliſta ſcripturam eſſe vitiatam. Fuit tempus quo ego exiſtimabam illud quod Matthæus dicit *Bariona* hoc eſt *fili Iona*, *Iona* abſciſſum eſſe ab eo quod eſt *Iohana*, idque mihi perſuadebam tum auctoritate Chryſoſtomi qui lectionem illam agnoſcit, tum ex eo quod græci & latini transferentes nomina Hebræa in ſuas linguas aliquando abijciunt aſpirationem ſimplicem ſiue duplicem retento apice, aliquando diſpungunt vtrumque, hoc eſt literam ſimul & apicem, quemadmodum pro eo quod Hebræi dicunt *Iehoſuah*. græci extrita he litera cum ſuo holem dicunt *Ieſus*. Latini vero Seba diſpuncta cum aſpiratione ſequentis ſyllabæ ſcripſerunt *Ioſue*. Atque pari modo ex *Iohanna* expuncta aſpiratione cum ſuo apice potuiſſe fieri *Iona*, id quod Auguſtinus videtur ſignificare de concordia Euangeliſtarū. Cumque in ea eſſem opinione idque aſſeueratè defenderem, perfudit os meū rubore perquam Reuerendus in Chriſto pater ac clementiſſimus Dominus & patronus

meus

meus Cardinalis Hiſpanus, qui mihi ex codice græco monſtrauit in Euangelio Ioan. non eſſe legendū *Simon Ioānis*, ſed *Simon Iona*, ſubaudi filius, quod eſt conſentaneum ei quod Matth. ſcripſit *Simon Bariona*: æquè *Iona filius*.

CAPVT XXV.

Luſtrum.

EST ille publicus error, in quē video omnes quos vnquam legerim aut audierim turpiter lapſos, de recentioribus loquor: nam cū his tantum mihi certamen eſt, qui dicūt *luſtrum* conſtare ſpatio quinq; annorū. Citantque ſtultitiæ ſuæ teſtes non infirmæ auctoritatis Lucanum imprimis de bello decemnali Cæſaris in Gallia: qui inquit,

Pugnantem geminis tenuit te Gallia luſtris.

Ouidium, qui bellum Troianū quod per totidem annos durauerat, *biluſtre* quoq; appellauit. Illud quoque Eccleſiaſticum: *Luſtra ſex qui iam peracta Tempus implens corporis*. Afferunt præterea Varronis teſtimonium de origine linguę latinæ; *Tempus*, inquit, *nominatum tēpus quinquennale à luendo, id eſt, ſoluendo, quod quinto quoque anno vectigalia & tributa per cenſores ſoluebantur*. Difficile eſt tantorum virorū auctoritati repugnare, ſed multo difficilius reclamanti obſiſtere veritati. Quis enim ignorat biſextilem diem quarto quoque anno intercalari? Plinius lib. 2. Naturalis hiſtoriæ; *Per*

ſingu-

ſingulas, inquit, *intercalationes vno die antecedentibus rurſumque luſtra ſequenti ordine ſeruantibus.* & paulo poſt; *Redire,* inquit, *eaſdem vices quadriennio exacto Euxodus putat, & eſt principium luſtri eius ſemper intercalari anno caniculæ exortu.* Intercalationem quoque eam *luſtro*, id eſt, quadriennio fieri, Ouidius in. 3. faſtorum volumine ſcribit in hunc modum,

Is decies ſenos trecentum & quinque diebus,
Iungit, & è pleno tempora quarta die.
Hic anni modus eſt, in luſtrum accedere debet,
Quæ conſumatur paribus vna dies.

Quid quod omnes docti ſimul & indocti fatentur *luſtrũ* latine dici, quam græci vocant ὀλυμπιάδα. Nã & Papinius pro *olympiade luſtrum* poſuit dicens. *Nõ aliter cum piſæo ſua luſtra tonanti cum redeunt.* Sed quod *olympias* tãtum quatuor annos complectatur, licet animaduertere cum alijs in locis; tum in Euſebij chronico, vbi per quaternos annos *olympiades* digerit. Vnde igitur ortus eſt tantus error, vt pro quatuor quinque accipiantur? Ex eo nimirum quod termini accipiũtur pro interuallis. Sic dicimus quia *Diapaſon conſonantia* conſtat ex octo vocibus, cum interualla ſint tantũ ſeptẽ, hoc eſt quinq; toni & duo ſemitonia, ſic quod ab octauo in octauũ eſt dies dominicus, cũ tamẽ in Hebdomade ſint tantũ

dies

dies ſeptem. Pari quoque ratione cùm dicimus à quinto in quintum annum debere diẽ biſextilem intercalari: illud nimirũ intelligimus, quod ea intercalatio, exacto quadriẽnio quolibet debeat fieri in eo qui eſt quadriennij præteriti finis & initium ſequentis. Quam differentiam neſcio an ſatis Latinè iſti ſolent facere per hæc aduerbia excluſiuè & incluſiuè, vt ſint in *luſtro* quinque anni excluſiuè, quatuor verò incluſiuè. Sic febres tertianas quartanaſque vocamus, non quod illas tertio aut quarto quoque die contingat accedere: ſed quod à tertio in tertium, aut à quarto in quartum ægrotãtes corripiant. Hinc eſt quinta illa Tychonij regula, quam Auguſtinus in 3. de doctrina Chriſtiana volum. adducit ad intelligendum complures ex ſcriptura locos; cùm per tropum Synechdochen, aut à parte totum intelligimus, aut è cõtrario à toto partem, vt quod in transfiguratione Domini alter Euangeliſta ſcribit: quod *poſt dies octo aſſumpſit Petrum, Iacobum, & Ioannem*. Alter vero *poſt dies ſex* factum fuiſſe dicit. Vtrumque verum eſſe non poſſet, quod de numero dierum dictum eſt; niſi alter dies primum & vltimum imperfectos, alter ſex medios integros accepiſſet. Hinc etiam ſoluitur illa de Chriſti reſurrectione quæſtio, cum non fuerit in ſepulchro, niſi *horis ſex & triginta, adiectis tribus,*

bus, ex quo expirauit, quomodo dicimus quod *reſurrexit die tertio*. Niſi enim vltima diei pars in qua paſſus eſt, & prima in qua reſurrexit, pro integris accipiantur, nõ eſſet verum quod die tertio reſurrexit à mortuis. Sed eſto *luſtrum* pro quinque annis, hoc eſt quatuor annis exactis & quinto inchoato accipiatur, eſto bellum gallicum ſit à Cæſare duobus luſtris exactis & tertio vertente peractum, aut octo medijs annis peractis primo & nouiſſimo imperfectis: nonne ex regula Tychonij vtrumque verum eſſe poteſt, & quod *luſtrum* continet annos quatuor & annos quinque & *duo luſtra* annos octo & annos decem? Quod vero ſex luſtris exactis Chriſtus ad paſſionem venerit, nulla Tychonij regula defendi, nulla ratione excuſari poteſt. *Sex* namque *luſtra* quatuor & viginti annos complectuntur. Atqui eccleſiaſtici auctores partim anno tertio, & trigeſimo, partim quarto & trigeſimo ætatis paſſum affirmant. hoc eſt luſtris octo peractis & nono inchoato. Quod ſi *luſtrum* idem eſt quod *olympias* id quod omnes fatentur, à Chriſti die natali ad eius paſſionem octo integræ *olympiades* ſupputantur. Natus eſt enim anno tertio centeſimæ nonageſimæ quartæ *olympiadis*, paſſus verò tertio anno ducenteſimę ſecundę *olympiadis*, hoc eſt anno duodeuigeſimo principatus Tiberij Cæſaris.

CAP.

CAPVT XXVI.

Moſes an Moyſes.

SÆpe mihi dubiam traxit ſententia mentem in eo quod idẽtidem à viris doctiſſimis percontatus ſum, vnde y. litera Hebræis atque latinis incognita in hoc nomen *Moyſes* irrepſerit. Nam cum apud Hebræos *Moſes* ſcribatur atque legatur per mem impoſito apice holem, deinde per ſin ſubiecto Segol & in fine cum ſimplici aſpiratione מׁשה moſeh, mirum vnde potuerit in hanc particulam y. conflari. Atqui apud latinos auctores nuſquam *Moyſes* ſed ſemper *Moſes* legitur. Plinius libro. 30. *eſt* inquit *& alia magicæ factio à Moſe etiamnum & latopea Iudæis pendens.* Iuſtinus quoque ex Trogo Pompeio libro. 36. *Poſt Damaſcum* inquit *Abraam & Iſrael & Moſes, reges fuerunt.* & paulo poſt *filius Ioſephi Moſes fuit*: Neque enim de fide hiſtorię nunc agitur, ſed de puritate ſermonis, & ne quis cauillari poſſit, literam librariorum vitio fuiſſe diſpunctam, Iuuenalis ſatyra. 14. verſum hexametron ſpondeo claudens dixit.

Iudaicum ediſcunt & ſeruant ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcumq́; volumine Moſes.

Obſeruatum quoque eſt apud Iuuencum in Euangelica hiſtoria, & apud Aratorem cardinalem in actibus Apoſtolorum, & apud Prudentium in varijs operibus ſemper *Moſes* & nun-

numquam *Moyſes* legi. Apud auctores tamē græcos vtrumque indifferenter legitur. Cum itaque in eo eſſem articulo vt putarem in hac dictione υψιλὸν fuiſſe interiectum, venit mihi in mentē legiſſe apud non contemnendæ auctoritatis ſcriptores fuiſſe apud Iones diphthongon ex ω & υ coagmentatā, in qua υ tali modo proferretur qualis ſonat in αυ & ευ diphthongis, vt ſi ab hac particula *ouis* detrahas *is*. Vnde fieri potuit vt in principio à gręcis μωυσῆς per ωυ diphthongon ſcriberetur, deinde ſoluta diphtongo μωϋσῆς triſyllabicῶs proferrent, ſicut econtrario in Ε'φραϊμ & Ι'εσσαϊ vocales ſolutas in diphthongon commutarunt Ε'φραὶμ & Ι'εσσαὶ enunciantes. Declinatur autem hoc nomē apud ſacrarum literarum auctores gręcos varijs modis, Μωσεὺς & Μωϋσεὺς per ευς diphtongō, & Μωσῆς ſiue Μωϋσῆς per η. Ab eo quod eſt Μωσεὺς & Μωϋσεὺς fit in genitiuo Μωσέως & Μωϋσέως in datiuo Μωσεῖ per ει diphtongō & Μωϋσεῖ, in accuſat. Μωσέα & Μωϋσέα, in vocat. Μωσεῦ & Μωϋσεῦ. Ab eo quod eſt Μωσῆς & Μωϋσῆς genit. facit Μωσῦ & Μωϋσῦ, Dat. Μωσῇ & Μωϋσῇ per η, accuſat. Μωσῆν & Μωϋσῆν, vocat. ὦ Μωσῆ vel Μωσῆς, ὦ Μωϋσῆ vel Μωϋσῆς. Ab eo quod eſt Μωσεὺς vel Μωϋσεὺς Latini doctiſſimi Moſes & Moyſes Moyſis & in Dat. *Moſi* & *Moyſi* & in accuſ. *Moſen* & *Moyſen*

K facere

facere potuerunt, quemadmodum à Τυδεὺς *Tydes*, ab Ἀχιλλεὺς *Achilles*, ab Ὀδυσσεὺς *Vlyſſes*, à Περσεὺς *Perſes*. Ab eo quod eſt *Moſeus* Iuuencus lib.4.de Euangelica hiſtoria facit in accuſatiuo *Moſea*.cum dixit.

Moſea qui legum potuit præcepta iubere.

Nam quod in Pentatheuco legitur frequenter, *Locutus eſt Dominus ad Moyſen* ab eo dicatur quod eſt Μωυσῆς Μωϋσοῦ. Quodque frequenter in ſacris literis vſurpatur *Moyſi* in genitiuo, datiuus eſt pro genitiuo, nam datiuus eſt Μωϋσῇ per eta in fine ab eo quod eſt Μωϋσῆς, Μωϋσοῦ, Μωϋσῇ. Iam vero datiuum poni pro genitiuo figura frequens eſt apud poetas, quod & Priſcianus teſtatur de his nominibus quæ ad tertiam declinationem latinam reducuntur. Quemadmodum vero ab *Achilleus*, dicimus doctores ſecuti *Achilles Achillis Achilli*. & in Virg. prim. Æneï.

Troas relliquias Danaũ atque immitis Achilli.

pro *Achillis*, & ab *Vlyſſeus Vlyſſes Vlyßi*, & inde idem auctor in 2. eiuſdem operis,

Aut duri miles Vlyßi.

pro *Vlyßis*; ita ab eo quod eſt *Moyſeus* latini potuerunt facere *Moyſes Moyſis Moyſi*, & in genitiuo *Moyſi*, pro *Moyſis*. Hæc idcirco ſunt à me tam multis vt quodam modo excuſaretur quod in introductionibus meis propoſui declinationem barbaram, per quam dixi hoc nomen

nomen declinari. Ilud quoque aduertendum eſt omnes caſus huius nominis circumflecte-re vltimam apud græcos & qui illorum declinatione vtimur etiam apud latinos. Sed quod in recto vltima circumflectatur nondum mihi liquet, cum apud grçcos nunquam id contingat, niſi ex acuta & graui fiat ſyncreſis, id quod in nomine *Ieſus* diximus.

CAPVT XXVII.

Mænianum quid eſt.

IN Ezra volumine in cap 6. legimus quod Cyrus rex iuſſit extrui Mænianum in domo domini. Sed quid Mænianum ſit, aut vnde ſit appellatum dubitabit fortaſſe quiſpiam. Sextus Feſtus Pompeius *Mæniana* inquit *ædificia à Mænio ſunt appellata, qui primus in foro vltra columnas tigna proiecit, quo ampliarentur ſuperiora ſpectacula*. Hic eſt ille Mænius qui poſt bona patris abſumpta columnam ſibi ſeruauit vnde ludos ſpectaret. De quo Horatius in 1. epiſtolarum.

Mænius vt rebus maternis atque paternis.

Atque alio in loco.

Mænius abſentem Nonium cum carperet,

Quem locum enarrans Porphyrio *Menius* inquit *ſcurrilitate notiſsimus poſt abroſum patrimonium vendidiſſe domum aiunt, quam habuerat ad domum ſpectantem vna ſibi exempta columna vnde gladiatores ſpectaret, quæ ex eo Mæ-*

nij columna vocabatur. De qua Lucilius, *Mænius* inquit *cum columnam peteret*. Aſconius quoque Pedianus in Ciceronis diuinatione actionum Verrinarum exponens illud ad columnam mæniam, *Mænius* inquit *cum domum ſuam venderet Catoni & Flacco cenſoribus vt ibi Baſilica ædificaretur, exceperat ius ſibi vnius columnæ ſuper quam tectum proijceret, & prouolantibus tabulatis ipſe & poſteri eius ſpectare munus gladiatorum poſſent, quod etiam tum in foro dabatur*. & ſubdit. *Ex illo igitur columna mænia vocitata eſt*. Mæniani meminit Valerius Maximus in tit. de mortibus non vulgaribus. *C. Lucinius* inquit *dum ſententiæ dicerentur in mænianum conſcendit*. Vitruuius quoque libro.5.in principio. *Mæniana* inquit *in ſuperioribus coaſſationibus collocentur*. Hieronymus in Epiſtola ad Suniam & Fretelam exponens illud pſalmographi. *Factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto* (doma in orientalibus prouincijs dicitur ipſum quod apud nos tectum) *In AEgypto* inquit *& in Palæſtina vbi vel ſcripti ſunt diuini libri vel intepretati non habent in tectis culmina, ſed domata, quæ Romæ ſolaria vel mæniana vocantur*, id eſt, palatia tecta quæ tranſuerſis trabibus ſubſtentantur. denique & in actibus Apoſtolorum, *Aſcendit* inquit *in doma*. Iabolenus in tit. de verborum ſignificatione.l.malũ, quale genus ędificij ſit oſtẽ-

dit

dit dicens. *Inter proiectum* inquit *& immiſſum hoc intereſſe Labeo ait, quod proiectum eſſet in quo ita proueheretur vt nuſquam requieſceret qualia mæniana ſubgrundaria eſſent*, id eſt, tecti partes impendentes ad parietum munitiones. Vulpianus quoque in titulo, ne quid in loco publico l. 2. c. *Cum quidam*, inquit, *in mæniano velum immiſſum haberet, quod vicini luminibus officiebat*. In codice præterea Iuſtiniani tit. de ædificijs priuatis. l. Mæniana. *Mæniana* inquit *ſiue olim cõſtructa, ſiue imposterum conſtruenda*. Accurſius quemadmodũ & Hieronymus mæniana ſolaria interpretatur, ſed quod à mænibus dicantur nemo præter ipſum dixit.

CAPVT XXVIII.

Meditor pro exerceor.

MEditor, aris nõ modo ſignificat id quod habet in promptu, hoc eſt, cogitare, ſed plerũque pro eo quod eſt exercere accipitur, vt apud Iuuenalem;

Fuſcus marmorea meditatus prælia villa.

Idem,

Et ſtatua meditatus prælia luſca.

Plautus in ſticho. *Simul ad curſuram meditabor me ad ludos olympiæ*. Virg. quoque 2. Geor.

Iuno peſtem meditata iuuencæ.

In hac ſignificatione accipitur illud ex Geneſi c. 24. vbi legimus Iſaac exiſſe *vt meditare-*

tur in agro. Nam quod Nicolaus exponit *ad orandum*, rectius dixiſſet *ad arandum*, nam eo in loco potius actum corporis quam mentis cogitationem intelligit. Quale eſt illud Prouerbiorum cap. 8. *Sicut pullus hirundinis clamabo, meditabor vt columba*, & illud Eſaiæ. 48. *Veritatem meditabitur guttur meum*, quod vtrumque cum voce ſiue cantu quodam fit, vt non male intelligatur quod in pſalmo legitur, *In lege eius meditabitur die ac nocte*, & quod hymnographus ſcribit, *ſemper in pſalmis meditemur*, pro eo quod eſt ad cantum ſiue in cantu exerceri. quemadmodum apud Virgilium in Bucolicis.

Sylueſtrem tenui muſam meditaris auena.

Atque,

Agreſtem tenui meditabor arundine muſam,

Et illud.

Omniaque phœbo quondam meditante beatus
Audijt eurotas iuſsitque ediſcere lauros.
Ille canit.

In græco quoque in illo loco egreſſus fuerat ad meditandum in agro, habetur ἀδολέσχισαι, id eſt, ad exercendum.

CAPVT XXIX.

Melita.

ENatanti Paulo Apoſtolo ex illa tempeſtate quam deſcribit Lucas in Apoſtolica Hiſtoria cap. 27. occurrit inſula Melita, *& cum euaſiſſemus hinc cognouimus quod inſula*

Melita

Melita vocabatur. Hæc namque eſt vera lectio, atque ſic ex græco vertit interpres, non quod in quibuſdam codicibus latinis legitur tum *Mitylene*, tum *Miletus*, tum *Melitene*. Nam *Mitylene* non eſt inſula, ſed ciuitas eſt Lesbi inſulæ contra Troadem poſitæ, diſtans à *Melita* non minus octingentis milibus paſſuum. *Miletus* quoque non eſt inſula ſed oppidum in Ionia inſigne, patria Thaletis illius qui fuit vnus idemque primus ex ſeptem ſapientibus, ac præterea Timothei Muſici & Anaxymandri phyſici. diſtatque à *Melita* noſtra paſſibus aliquanto pluribus quam *Mitylene*. *Melytene* vero ciuitas eſt Cappadociæ, quã præterfluit Euphrates fluuius. Ex Plinio, Strabone, Martiano cæteriſque. Diſtat autem *Melitene* à *Melita* duplo amplius quam *Miletus* & *Mitylene*. Eſt autem *Melita* inſula inter Siciliam & Africam diſtans à Syracuſis quo ex *Melita* Paulus adnauigauit paſſus circiter cẽtum mille. hodie appellatur *Maltha* Siciliæ regno contributa. de qua Ptolomæus. *pelagiæ* inquit *inſulæ inter Africam & Siciliam hæ ſunt. Coſyra & glauconis inſula & Melita in qua ciuitas eiuſdem nominis*. Strabo præterea lib. 6. in deſcriptione inſularum Siciliæ adiacentium. *Imminet autem Pachino Melita de qua catelli portantur quos Meliteos vocant*. Plinius quoque lib. 3. *in Siculo* inquit *freto ſunt inſulæ in*

Africam verſæ Gaulos & Melita à Camarina octoginta quatuor millibus paſſuum diſtans. Atque vt omnis de nomine huius inſulæ tollatur ambiguitas: Arator cardinalis cuius auctoritatē eccleſia Romana prefert, non modo Hugoni cōcardinali Mametrecto & Nicolao qui dicit *Mitylene* eſſe literam correctam cùm nihil ſit corruptius, ſed reliquis omnibus neotericis, qui ſacræ ſcripturæ locos conati ſunt enarrare. Is namque in 2. volum. Apoſtol. hiſtoriç, vbi hanc partem Euangeliſta proſequitur, heroicis carminibus ſic ait:

His dictis ruit ira maris, ſublataque dudum
Lux reuocata micat: velamine noctis aperto.
Pandere viſa ſolū, quod præbuit hoſpita nautis:
Sicanio lateri remis vicina Melite.

Sed aduertenda eſt varietas inter duos egregios auctores in ſyllabæ quantitate. Arator namque ſecutus accentum Græcum penultimam produxit; quod & in alijs locis fecit, nam vltima longa exiſtens apud Græcos non vult accentum acutum in antepenultima collocari. Ouidius tamen in 3. Faſtorum eandē breuiauit dicens:

Fertilis eſt Melite ſterili vicina Coſyræ
Inſula, quam Libyci verberat vnda freti.

CAPVT XXX.

Micol pro Merob.

IN

IN Teſtamento Nouo quoſdam eſſe locos in quibus aliæ perſonę pro alijs leguntur, neſciri verò cauſas tantæ varietatis identidem diximus: ſed & nunc dicimus in Veteri quoque tale aliquid reperiri, vt quod in ſecundo Regum volumine cap. 21. legitur *Micol* pro *Merob*. *Tulit*, inquit, *Dauid Rex duos filios Reſpha quos peperit Saul Admoni & Miphiboſeth, & quinque filios Micol filiæ Saul quos genuerat Adrieli filio Berzellai: & dedit eos in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos in monte coram Domino*. Hic manifeſtum eſt *Micol* pro *Merob* poſitam eſſe. Nam conſtat Saul duas genuiſſe filias, *Merob* primam & alteram *Micol* ex 1. Reg, c. 14. Deinde dediſſe *Merob* filiã maiorem Adrieli molathite, & *Micol* filiam minorem Dauid pactam pręputijs centũ philiſtæorum ex 1. Reg. c. 18. quam poſtea abduxit à Dauid & tradidit Phalti filio Lais, ex 1. Reg. c. 15. Quam rurſus Dauid abſtractam à Phalti domũ reduxit ex 2. Re. c. 3. Quomodo igitur fieri potuit vt *Micol* filios generare potuerit Adrieli, qui traderentur Gabaonitis? Quod ſi quiſpiam dixerit *Micol* repudiatam rurſus à Dauid, quod non eſt credibile, & ſuſceptam ab Adriele, tempora videntur obſtare, ſed illud imprimis quod ſcribitur in 2. Reg. c. 6. *Micol filiæ Saul non eſt natus filius vſque in diem mortis ſuæ*. Hebræus quidam legis

atque antiquitatis hebraicæ ſatis peritus dicebat mihi. *Merob* illos quinque viros genuiſſe phalti, ſed *Michol* adoptaſſe ſibi. Sed hoc eſt violentiam inferre lectioni, quæ dicit quod illos genuerit Adrieli. In vtriſque igitur codicibus hebræis & latinis, nam græcos nobis videre non contigit: mendum eſt *Micol* pro *Merob*.

CAPVT XXXI.

Mygale quid.

INter immunda animalia legiſlator in Leuitico cap. 11. *Mygalem* numerat. *hæc* inquit *inter polluta reputabuntur de ijs quæ mouentur in terra, muſtela, & mus, & crocodilus, Mygale, chamæleon, & ſtellio.* Sed cum *Mygalem* omnes interpretantur *murem arachneum* non poſſumus vti aiunt digito monſtrare, quæ nã beſtiola ſit cum raro inueniatur. Plinius libro 8. ſcribit, *muribus arachneis venenatum eſſe morſum*, eoſdemque vlteriorem regionem apœninam non habere, eoſdemque vbicumque ſint ſi tranſierint orbitam interire. Iulius Firmicus libro matheſeon. 7. *in arietis* inquit *parte. 18. qui habuerit horoſcopum à modica beſtiola, id eſt aut à phalangio aut à mure Arachneo aut à ſcorpione morietur.* *Mygale* vero dicitur græce à μῦς quod eſt *mus*, & γαλῆ quod eſt *muſtela*, quod muris magnitudine ſit, muſtelina ſpecie, roſtro oblógo, cauda gracili, ordine den-

ne dentium quadruplici: vt auctor eſt Aëtius. Frequens in Britannia inſula, ſicque ab inſulanis hodie appellatur. Galenus lib. 11. de medicina ſimplici cap. 25. & in libello de centaurea, quaſi de venenatæ beſtiolæ morſu meminit: niſi quod illius interpres *mygalem* in *muſtelam* vertit, cùm *muſtela* longè aliud ſit à *mure Arachneo*. Scribit pręterea Herodotus lib. 2. de rebus Ægyptijs: quod cùm *Mygale* moriuntur, ab illis in Buthon vrbem humandi gratia aſportantur: vt meritò Moſes huius beſtiolæ meminerit: quippe qui octoginta annos fuerit in Ægypto. nam ea ætate dux itineris factus ab Ægyptia ſeruitute Iſraeliticum populum aſſeruit.

CAPVT XXXII.

Non, adiecta aut detracta.

NOn *particula* negatiua in plæriſque locis *adiecta* ſiue *detracta* non modo perturbat ſenſum, verum etiam lectorem in contrariam ſententiam tranſuerſum rapit. Cuiuſmodi eſt illud quod Moſes ſcribit Geneſeos cap. 8. *Aperuit* inquit *Noe feneſtram arcæ quam fecerat & dimiſit coruum, qui ibat & non reuertebatur*. Atqui in Hebræo & in codicibus vetuſtis longobardis goticis inter Pœnos & latinis non patticula detracta eſt, *qui ibat* inquit *& reuertebatur*. qui eſt ſenſus manifeſtus & lectioni conſentaneus, quia videlicet

cum terra eſſet aquis vndique obruta, non inueniens vbi conſiſteret, ibat & reuertebatur ad arcam, idque identidem feciſſe, oſtendit tempus prçteritum imperfectum. Nam ſi coruus reuerſus non fuiſſet, potius diceret per præteritum perfectum *iuit & non eſt reuerſus*. Quid quod poſt coruum colūba dimiſſa quoquo verſus volitans nuſquam vbi conquieſceret inueniens ad arcam rediens, & poſt ſeptem dies iterum remiſſa ſurculum oliuç detulit, vt credibile ſit tantum arborum cacumina cœpiſſe comparere. Quod ſi coruo aliqua cōſiſtendi cauſa fuit, non potuit eſſe alia quam cadauer aliquod iuuentum innatans ſuper aquas. Itaque non in eo laboramus nunc vtrū coruus redierit, an non redierit, ſed vt veritatem hebraicam defendamus, cui aſtipulantur codices pervetuſti, refragantur noui. Sed quemadmodum in lexico Iuris Ciuilis ſcripſimus *non* quoque *particula adiecta* mentem legiſlatoris in contrarium vertit. Iuriſconſultus namque ſcribens in titulo de officio proconſulis. *legatus* inquit *mandata ſibi iuriſdictione iudicis dandi ius non habet*. Cæterum in pandectis florentinorum archetypis *non particula* non habetur, adnotante Angelo Politiano, cui ſæpe data eſt copia libros illos prototypos inſpiciendi. Sed an iudex delegatus habeat facultatem ſubdelegandi, vide-

viderint iuris periti, nos veterem lectionem tuemur. Ediuerſo quoque *eadem particula,* non minus in contrarium legis æquitatem mutat. vt libro digeſtorum vndeuigeſimo, in titulo qui eſt de præſcriptis verbis. l. non ſolent, ſic enim legendum eſt non vt omnes codices vulgo habent, *ſolent. Non ſolent* inquit *qui nouerunt ſeruos fugitiuos alicubi celari, indicare eos Dominis vbi celentur, quæ res non facit eos fures.* Quod ſi legas *ſolent qui nouerunt.* &c. erit ſenſus legis non modo iniquus & inciuilis, verum etiam falſus & à mente iuriſconſulti alienus. Quis enim furem appellauerit eum qui ſcit ſeruum alicuius apud fugitiuarium deliteſcere? Quid quod Innocentius in titulo de furtis cap. qui cum fure partitur, in calce commentationis citat hanc legem ſub hac lectione, *non ſolent qui nouerunt.* quod ipſum argumento eſt ſuo tempore digeſtorum libros nondum fuiſſe vitiatos, quales nunc reperiuntur.

CAPVT XXXIII.

Onocrotalus.

PRO eo quod apud Hebræos Leuitici c. 11. legitur קאת caath, Septuaginta primũ atque deinceps reliqui interpretes Græci & Latini *Onocrotalum* tranſtulerunt. Inter aues namque quibus veſci per Moſen Deus prohibet Hebręos, caath, hoc eſt, *Onocrotalum* nominat.

minat. *De auibus*, inquit, *comedere non debetis Onocrotalum & Porphyrionem & herodionem.* Atque iterum in Deuteronomio cap. 14. *Immundas aues non comedetis, porphyrionem ſcilicet & nycticoracem, Onocrotalum & charadrium.* Onocrotali quoque meminit Eſaias cap. 34. *Non erit*, inquit, *tranſiens per eam, & poßidebũt illam Onocrotalus & Ericius.* Plinius libro 10, Naturalis hiſtoriæ, cuiuſmodi auis illa ſit his verbis oſtendit: *Olorum ſimilitudinem Onocrotali habent, nec diſtare exiſtimarentur omninò, niſi faucibus ipſis ineſſet alterius vteri genus, huc omnia inexplebile animal congerit: mira vt ſit capacitas, mox perfecta rapina ſenſim inde os reddita inferam in aluum ruminantis modo defert.* Hæc pulcherrima dictu ſunt, ſed nihilo plus afferunt vtilitatis quam ſi nihil diceretur. Neque enim ſatis eſt audire quod ſit auis cygno ſimilis, cum ſit noſtratibus cygnis duplo maior, tametſi illis aliquo modo ſit perſimilis. Nam quod Plinius ſcribit nihil ab oloribus diſtare niſi faucibus ipſis ineſſet alterius vteri genus: quid per vterum ipſe intelligat ſatis liquet, nõ tamen per nomen deſignatur quod ipſe vult, hoc eſt *ingluuiem*, quæ à græcis πρόλοβος dicitur. Eſt autem ingluuies quemadmodum ab Ariſtotele in 3. de hiſtoria animalium definitur, cutis in amplum ſinuata, qua primum cibus ingeſtus continetur incoctus, hæc qua

parte

parte iungitur gulæ anguſtior eſt mox amplior: tum qua deſinit in ventriculum iterum arctior. de qua Virgilius in 3. Geor.

Improbus ingluuiem ranisq; loquacibus explet.

Hęc inquam in *Onocrotalo* mirum in modum eſt ampla, quippe quæ amphoræ menſurā aut non multo minus capiat. de qua Martialis:

Turpe rauenatis guttur Onocrotali.

nam turpe guttur pro magna ingluuie poſuit. Turpe enim pro magno aliquādo accipi notauit Seruius Grammaticus in illud Virgilij 3. Georgicorum:

Optima toruæ
Forma bouis, cui turpe caput, cui plurima ceruix.

& illud ex 4. eiuſdem:

Armenta & turpes paſcit ſub gurgite phocas.

vtrobique exponens turpe pro magno. Hanc *Onocrotalus* aqua explet, atque ore aperto piſculis ſe obiectat; quos cùm ſentit deprehēſos intra ingluuiem, aquam per oris ſpiramenta euomit, atque ita præda veſcitur: ab hoc aquę vomitu ego ſuſpicor ab Hebræis auem cognominatam caath, quod caath vomitus interpretatur; & ne quaſi de re incognita pluribus diſputem: duos *Onocrotalos* contigit mihi videre, alterum comminus in foro Bononiēſi, ad vulgi ſpectaculum publicè expoſitum; alterum eminus ad anæ fluminis ripam, ad cuius volantis monſtroſam magnitudinem viſendam

ſendam multi mortales concurerunt. Æquiparabat ſane mole ſua agnum anniculum. Sed cum nemo ſciret auis nomen, quanquam alij dicerent ſe alias conſimiles vidiſſe, ego illis dixi croton in Italia vocari, & reuera ita appellabant Bononienſes. Sed cum *Onocrotalus* interpretetur aſinus crepitans, quoniam ὄνος eſt *aſinus* & κροτάω *crepito*, videtur nomen impoſitum à voce quam auis illa edat. quam mihi audire non licuit, propterea quod quemadmodum dixi alterum comminus extinctum, alterum eminus volantem conſpicatus ſum.

CAPVT XXXIIII.

Phaſe Paſcha peſach.

QVid interpreti venerit in mentem, vt quod ab Hebræis dicitur פסח Peſach per ſameh in exodo atque alijs in locis inſtrumenti veteris interpretatus ſit in *Phaſe*, in teſtamento Nouo græcè & latinè dicatur *paſcha*, aut quid ſimile inter ſe habeant hæc tria *peſach*, *phaſe*, *paſcha*, vt auſus ſit latinus interpres vertere *Peſach* in *Phaſe*, aut græcus in πάσχα, vellē diſſereret mihi quiſpiam trium linguarum peritus. Interim vero dicam ego quod ſentio, quoad alius afferat aliquid melius. Sed de *Phaſe* in primis p. exile in aſpiratum verti frequens eſt apud eos qui de Hebræo ſermone transferunt in græcum aut latinum,

tinũ,vt pro eo quod hebręi dicunt פרעה Paro פסגה Piſga פשחור Paſgur.per p. exile, græci primùm deinde latini tranſtulerunt Pharaon,phaſga.phaſur per ph.aſpiratum & mille alia. ſeba vero apex qui ſubijcitur p. literę cũ ab illis prope ſemper per e. vocalem proferatur, græci & latini plærumque vertunt in a, vt pro eo quod illi dicunt per ſeba שמואל Semuel זבלון Zebulon רפאים rephaim,nos per a. proferimus. Quod illi præterea זרח Zerah, גבר Geber עקרון Ecron per ſegol nos Zara,Gader,Acarõ pronunciamus per a. vocalem. ס Sama quoque in s. vertendũ eſſe nõ eſt dubium,quæ litera quanquã non multum diſtet in prolatione à zeta,ſ.noſtro & ſigma gręco reſpondet,cum ש ſin & צ tſade violenter in illas transferantur, quemadmodum in libello de poteſtate literarum ex auctoritate Hieronymi demonſtrauimus. Illud mirabile quid placuerit interpretibus græcis & latinis ח literam, quam Hieronymus duplicem aſpirationem vocat ſubiecto patha ſiue cames vertere ſemper in e, literam, vt נח Noah Noe תרח Therah Thare קרח Corah,Core יפתח Iiphtah Iephte,atque eadem ratione פסח Peſah,Phaſe. p. ſubtili in aſpiratum e.in a.ſama in ſ. heth ſubiecto patha in e. Atqui græci literis inuerſis in πάσχα verterunt. Nam heth literam in χ ſuum plæ-

rumque mutant. latini quia talem vocem nõ agnoſcunt niſi tantum in dictionibus græcis, illam prope ſemper expungunt, aut in ſimplicem aſpirationem vertunt. vt pro eo quod Hebræi per heth dicunt חרן charan חררי chori חרב choreb חברון chebron græci per ſuum χ χαρὰν χωῤῥεῖ χωρὴβ χεβρὼν dicunt, at latini expuncta ח littera. Aran, Ori ſiue horri, Ebron ſiue Hebron proferunt. De nominis huius interpretatione nihilo magis eſt ſilendum, in quo maximi auctores aberrarunt putantes πάσχα dictum à πάσχω quod eſt *patior* perinde ac ſi dictio Hebraica patiatur etymologiam græcam aut græca latinam. De quo in repetitione quadam noſtra diſputauimus, monſtrauimuſque non poſſe fieri. hi ſunt non de media plebe, ſed ex prima nota. Lactantius, Ambroſius, & ætate noſtra Ioannes tortellius alijque plures. Atqui Hieronymus cui magis quam reliquis omnibus in literatura credendum eſt, in ſermone de celebratione paſchatos: *paſcha* inquit *non eſt græcum, ſicut vulgo videri ſolet, ſed Hebræum eſſe dicunt, qui linguam vtramque nouerunt, neque enim à paßione quoniam πάσχειν græcè, latinè dicitur pati, ſed ab eo quod tranſitur*. Idem apud Matthęum, *paſcha* inquit *hebraice dicitur phaſe non à paßione, vt plærique arbitrantur, ſed neque dicitur phaſe à tranſitu maris rubri, id quod eccle-*

ſia ca-

ſia canit, poſt tranſitum maris rubri Chriſto canamus principi, ſed quod exterminator videns ſanguinem in foribus Iſraelitarum pertranſierit, neque percuſſerit illos, Ait namque ſcriptura. eſt enim phaſe, id eſt, tranſitus domini, & tranſibo per terram AEgypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum. & ſequitur. Cunque viderit Dominus ſanguinem in ſuperliminari in vtroque poſte, tranſcendet hoſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras. atque iterum. & cum dixerint vobis filij veſtri, quæ eſt iſta religio, dicetis eis. Victima tranſitus domini eſt, quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſrael in AEgypto. Habet autem phaſe accentum in prima, non vt vulgus putat in vltima ſyllaba.

CAPVT XXXV.

Phiton pro Pythone.

EST in ſacris literis apud hebræos verbum frequens. אוב. Ob. quod græci interpretes in Εγγαστρίμυθον, latini in *pythona* vertetũt, non in *Phitonem*, vt omnes latini codices habent, cum ſit *Phiton* nihili verbum, aut ſi pro *Pythone* ſit poſitum, erunt in vna dictione tria errata, quæ nulla ratione defendi poſſunt. Primum quod additur aſpiratio p. litteræ exili. alterum quod detrahitur aſpiratio th. litteræ. aſpiratæ. tertio quod ponitur, i. iota pro ypſilo, quæ vitia inter quadraginta Barbariſmi ſpecies à grammaticis numerantur. Atqui

mirum eſt tantum errorem nõ fuiſſe animaduerſum à tanta doctiſſimorum virorum multitudine, qui diuinę lectioni operas ſuas dedicarunt, cum præſertim tam crebra huius verbi mentio fiat. vt Leuitici cap. 20. *Vir* inquit *ſiue mulier in quibus phitonicus vel diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriatur*. In Deuteronomio quoque cap. 23. *Non ſit maleficus neque incantator. nec Phitones conſulatis*. & in 1. Regum volumine capit. 28. *Saul* inquit *interfecit eos, qui Phitones habebant in ventre*, & paulo poſt dixit Saul ſeruis, *quærite mihi mulierem habentem Phitonem*, & dixerunt ei *Eſt mulier habens phitonem in endor*, & ſubdit Saul verba ad mulierem. *Diuina mihi in phitone, & ſuſcita mihi quem dixero tibi*, & de eodem in 1. Paralipom. cap. 10. *Mortuus eſt* inquit *Saul, eo quod Phitoniſſam conſuluerit*. In 4. quoque regum cap. 21. de Manaſſe filio Ezechiæ Regis Iuda. *Obſeruauit* inquit *auguria & fecit Phitones*. In Eſaia quoque cap. 8. *Quærite à Phitonibus & à diuinis qui ſtrident in incantationibus ſuis*. Idem cap. 19. *Interrogabunt ſimulachra ſua & diuinos & Phitones*, quibus in locis omnibus pro Phitõ, & Phitonicus, & phitoniſſa. in græco vt diximus legitur Ἐγγαστρίμυθος, quod verbum ex verbo interpretari poteſt *ventriloquus*, quod γαστὴρ interpretatur *venter* & μῦθος *fabula* ſiue

ſiue *verbum*, quod in 1. Regum libro expreſſit interpres, cum dixit *qui Phitones habebat in ventre.* Hos *Pythonas* à quibuſdam vocatos Suidas auctor eſt. *Engaſtrimythos* inquit, *quem nonnulli Pythona vocant*. A Sophocle vero eundem appellari dicit στερνόμαντιν, hoc eſt *ex pectore diuinantem*. A Platone vero *Eurycleа* ab *Eurycleo* quodam vaticinatore, cuius Ariſtophanes quoque meminit in comœdia cuius index eſt σφὴξ. hoc eſt veſpæ. Quid? non & Lucas in Apoſtolica Hiſtoria cap. 16. hunc gręce πύθωνα vocat, quamquã refragantibus omnibus latinis codicibus, qui pro *Pythone Phitonem* habent. *Puellam* inquit *quandam habentem Phitonem*, pro quo in gręco eſt non *habentem Phitonem*, ſed *ſpiritum Pythonis*, neque admittendi qui dictiones hebraicas in ordinem alphabetarium redegere, ſcribentes *Phitonem* per f literam. Neque audiẽdus Sipontinus, qui *phitonicos entheatos* ſiue *diuinos* interpretatur. niſi forte *phytonicos* per y pſilon legit, nomine à φυτὸν *planta* deducto. ſed nihil ad rem de qua agitur plantæ ſignificatio pertinet. Sed videamus nunc vnde diuini ſiue necromantici dicantur *pythones* ſiue *pythonis* ſpiritum habere. Eſt apud Poetas fabula celebris, quod poſt diluuium ſub Deucalione terra madefacta genuit immenſæ magnitudinis ſerpentem, quem dixe-

re *Pythonem*, dictum à πύθειν quod eſt putreſcere, ex eo quod ex terra putri ſit ortus, aut in putredinem ſolutus. Hunc Apollo traditur ſagittis confeciſſe, de quo narratur ab Ouidio fabula perlonga in. 1. Metamorph. & Lucanus in 5.

Matris adhuc rudibus Pæan pythona ſagittis
Explicuit. Hinc Apollo victor
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ ſerpentis nomine dictos.

Hinc *Pythius* Apollo, & *pythiæ* Apollinis vates, quæ illius ſpiritu raptæ, futura aut occulta dicebant, ſedentes in tripode ex corio eiuſdem ſerpentis inducto. Hic nimirum eſt ſerpens ille de quo ſcriptura dicit, quod *erat callidior cunctis animalibus terræ*. & de quo ſcribit Suidas his verbis, *Quod pythonis dæmonij diuini acceſſu mulieres entheatæ prædicebant futura*. De Pythia ſacerdote Strabo libro de ſitu orbis. 9. vbi de Phocide regione, vrbe Delphis, Parnaſo monte. *Autores* inquit, *certi memorant diuinum ipſum domicilium profundam eſſe ſpeluncam, non admodum ore lato patentem, inde auram quidem referri ſacro efflante numine, excelſum autem oſtio imminere tripodem, quem cum Pythia conſcenderit, hauſto diuinationis ſpiritu, dei reſponſa referre & metro & oratione ſoluta*. Eadem propemodum & Iuſtinus lib. 24. narrat. & Lucanus in 5.

Vt vi-

Vt vidit Pæan vaſtos telluris hiatus,
Diuinam ſpirare fidem ventoſque loquaces
Exhalare ſolum, ſacris ſe condidit antris,
Incubuitque adito, vates vbi factus Apollo.

Et non ſolum vates, ſed vatum quoque numen. Nam quatuor res maximæ decernuntur illi, diuinatio, ſagittandi peritia, muſica, & ars medicamentaria. & quemadmodum *Pythiæ* ab Apolline *Pythio* ſunt cognominatæ, ita & *Phœbades* à *Phœbo.* Lucanus.

Non inquam plenior artus
Phœbados irrupit pæan.

Fœminas vero has diuinatrices quas diximus ἐγγαστριμύθους à Græcis appellari Philochorus in 3. de Diuinatione libro ſcribit, ſolitas quoque fuiſſe carminibus mortuorum animas ex inferis excitare. Suidas quoque vbi de *Engaſtrimytho* affert illud ex 1. Reg. de *Pythoniſſa* quæ Samuelis animam defuncti elicuit. Hieronymus quoque in illud Eſaiæ. cap. 19. *Per hæc* inquit, *verba ſignificat Magorum necromantiam, per quam animas euocare dicuntur, & tenues vmbrarum, imo dæmonum audire voces. Denique pro pythone Aquila magum interpretatus eſt, qui Hebraice dicitur* ארב *ob, pro quo ſeptuaginta de terra loquentes tranſtulerunt. Hæc* Hieronymus.

CAPVT XXXVI.

Porphyrio.

INter aues quibus per Moſen Deus prohibet Hebręos veſci רחם Rachã enumerat, quẽ Interpp. Græci & Latini in porphyrionem verterunt. Scribit namque in Leuitico. cap. 11. *Hæc ſunt quæ de auibus comedere non debetis,& vitanda ſunt vobis.* & poſteaquam aliquot enumerauit,ſubdit. *Cygnum & onocrotalum & porphyrionem.* Atque iterum in Deuteronomio,hoc eſt ſecũda lege,vbi eadẽ verba, ſed alio ordine repetuntur. *Aues* inquit, *immundas ne comedatis,aquilam ſcilicet & gryphen.* & ſubdit,*ibin & mergulum,porphyrionem & nycticoracem*. Sed neque Hebræi hodie ſciunt quid ſit rachan,neque aliquis ex Græcis, aut Latinis authoribus, quos mihi contigit aut legere aut audire,mihi quod aiũt,ad manum monſtrare potuit, quæ auis aut cuiuſmodi ſit porphyrio. Meminit illius Martial. in diſticho cuius index eſt porphyrio.meminit Ariſtoteles in 3. de hiſtoria animaliũ volumine, ſed neuter illum ante oculos ponit. Plinius certe luculentiſſime libro Natura.hiſt. 10. his verbis porphyrionem deſcribit. *Bibunt aues ſuctu cæteræ, porphyrio ſolus morſu bibit. Idem ex proprio genere omnem cibum aqua ſubinde tingens, deinde pede ad roſtrum veluti manu porrigens, roſtra ijs & prælonga crura rubent.* Satis aperte Plinius porphyrionem nobis ante oculos ponit, ſed nihil mirum eſt ignorari

ignorari auem quæ ſit paucis cognita. Sed cũ in Bætica mea Turdetania maximè in qua eſt patria mea Nebriſſa, hęc auis ſit familiariſſima, atque in ſingulis prope domibus habeatur in delicijs, quæ me ratio ab ignoratione rei notiſſimę, ac ſeſe oculis omnium Nebriſſenſium quotidie ingerentis excuſare poteſt, aut quæ dari venia in plano ſolo ceſpitanti? Nam in eo opere in quo dictiones græcas & latinas in voces Hiſpanas atque Hiſpanienſes interpretatus ſum, *porphyrionem* eſſe dixi *auem alas rubras habentem*, atque rurſus *phœnicopterum alas* quoque *rubras habentem* dixi, quaſi idem eſſet *porphyrion* quod *phœnicopterus*. Sed in vtroque me etymon decepit: In altero quod πορφύρα eſt *purpura*, in altero quod φοινίκεος eſt *puniceus*. Poſtea tamen longa experientia didici *porphyrionem* eſſe quem vocant in Bætica mea *calamon*. *Phœnicopterum* vero quem appellant *flamenco*, vtrumque ſæpe videram atque ſæpe nominari audieram, ſed quemadmodum Arius Barboſa meus in quodam epigrãmate de me teſtatus eſt ex verbis Plinij in procemio Naturalis hiſtorię. *Arduum eſt nomina rebus & res nominibus reddere*, idque non modo in ijs quę ſunt à nobis remotiora, verum etiam ex ijs quę inter manus oculoſque verſantur.

CAPVT XXXVII.

Scruta quæ ſunt.

ANgelus Politianus pace aliorum dixerim, noſtro ſæculo vir omnium eruditiſſimus in prima quam vnicam vidimus centuria obſeruatione triceſima his verbis ſcribit. Vocabula quæpiam ſunt ita rara inuentu, vt ſi iterum in ea incidamus, ob id feciſſe operæ præcium videamur, quoniam ſingularia credebantur. ſicut inquit *ſcruta* dixit Horatius in hoc verſiculo ex 1. Epiſt.

Vilia vendentem tunicato ſcruta popello.

Dixit iterum Sidonius Apollinaris libro epiſtolarum 7. per hæc verba. *Nunc quædam friuola, nunc ludo apta virgineo ſcruta donabat.* Sed hominis diligentiam admiror, qui neque dixit ſcrutum quid eſſet, & quod putauerit poſt Horatium Sidonium modo Apollinarem eo verbo vſum. Nam & Hieronymus bis id vocabulum poſuit, primo in 3. Regum libro ca. 10. *Negociatores* inquit, *vniuerſique ſcruta vendentes*. Atque iterum in Neemia. cap. 3. *Poſt Meſollam ædificauit Melchias filius aurificis vſque ad domum Nathinæorum & ſcruta vendentium.* pro quo mendoſe in recentioribus libris ſcuta vendentium vtrobique legitur. Hinc *ars ſcrutaria*, eorum, qui *ſcruta* vendunt. vt apud Apuleium in 4. de aſino aureo. *Vos* inquit, *per balneas & aniles cellulas reptantes*

tes ſcrutariam facitis. Quid vero *ſcrutum* ſignificet, non poſſumus vno verbo monſtrare, ſed quantum ex varia lectione colligimus, *ſcruta* ſunt merces viles, minutæ, aptæque potius ludis quam ſerijs rebus. & *ſcrutarij* huiuſmodi res vendentes, quos Hebræi רכלים rochelim vocant, Hieronymus in *ſcruta vendentes* vertit. vulgus *buhoneros* appellat, ipſaſque res *barattias* nominat. hinc eſt verbum *ſcrutor, aris*. pro eo quod eſt ſcruta, & huiuſmodi res implicitas & cõfuſas explicare, ea forma qua à rima hoc eſt fiſſura inclinatur rimor. aris. pro eo quod eſt quaſi per rimas aliquid inquirere.

CAPVT XXXVIII.

Scutulata.

IN pſalmo. 44. qui eſt apud Hebræos quintus & quadrageſimus, pro eo quod hebraice legimus לרקמות lircamoth, Hieronymus interpretatur in ſcutulatis. in editione vulgari habetur, *circumamicta varietatib.* in quo duplex eſt diuerſitas ab Hebræo, altera in verſuum diſtinctione, altera in verbis. Ordo nãque in hebræo hic eſt. *Omnis gloria filiæ regis intrinſecus, faſceis aureis veſtita eſt.* & ſequitur alter verſus. *In ſcutulatis ducetur ad regem, virgines ſequentur eam, amicæ eius ducentur illuc.* In editione communi aliter. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varieta-*

varietatibus . Hic interpungendo ſubditur alius verſus. *Adducentur regi virgines poſt eam , proximæ eius afferentur tibi* . Omitto nunc alias diuerſitates in verbis & in ſententijs, venio ad illam quod pro circumamicta varietatibus, Hieronymus ex hebraica veritate interpretatus eſt , *in ſcutulatis*. Pro varietatibus namque non eſt qui non intelligat veſtes diuerſicolores, aut polymitas, aut ſegmentatas , quæ tamen veſtes ſint *ſcutulatæ* pauci nouerunt. *Scutulatarum* quoque veſtium fit mentio in Iezechiele.cap. 27. *Propter multitudinem* inquit *operum tuorum guttam, purpuram, ſcutulata, byſſum & ſericum propoſuerunt in mercatu tuo*. Scutulatorum quoque meminit Iuuenalis, dicens.

Cerulea indutus ſcutulata & galbana raſa.

Cumque ex *lircamoth* verbũ ex verbo interpretetur *in vacuitatibus*, quod genus veſtis intelligendum ſit hoc in loco, videamus. *Scutulata veſtis* vt inquit Varro, *dicta eſt quaſi ſit velut ſcutulis quibuſdam diſtincta* . Plinius quoque libro 8. *Vbi de textrina plurimis licijs texere , quæ polymita appellant , Alexandria inſtituit, ſcutulis Gallia diuidere* . & paulo ante. *Quam ſola ars* ait *ſcutulato textu commendat*. Sed *ſcutula* illa quemadmodum ſint effigiata nondum liquet, an videlicet colorum varietate, an liciorum permutatione, nunc expreſſa.

expreſſa, nunc depreſſa, vt in mappis fieri videmus. Ego vero quantum aſſequi poſſum coniectura, ſic exiſtimo, *Scuta* illa ex inanitate filamenti in maculas eſſe formata, idque ex liciorum ſubductione fieri, quemadmodum etiam nunc videmus ex filorũ inciſione ſindones & mantilia in varias picturas foraminari. Cur vero id exiſtimem, mouet me id quod Plinius lib. 11. ſcribit, agẽs de generibus arachneorum, inter quos *ſcutulatorem* quoque enumerat. *Texere* inquit, *à medio incipit circinato orbe ſubtegmina adnectens, maculaſque ſemper paribus interuallis ſed ſubinde creſcentibus ex anguſto dilatans inſolubili nodo implicat, quanta arte celant pedicas ſcutulato rete ad capiendas muſcas circa graſſantes.* Vides à Plinio retis maculas appellari ſcutula. Accedit ſermo hebræus qui eiuſmodi foraminulentas veſtes רקמות recamoth, id eſt, vacuitates ſiue inanitates vocat.

CAPVT XXXIX.

Sedere ad dexteram.

CVm apud omnes nationes vſitatiſſima ſit conſuetudo, vt qui ſedet ſiue incedit ad dexteram alicuius, obtineat locum priorem, Quid ſibi vult quod in pſalmo 109. legimus. *Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis.* Nam cum pſalmus ille in ſenſu etiam literali de Chriſto intelligatur, ſintque verba

verba patris ad filium, quid incongruentius dici poteſt, aut quid magis indecorum, quam quod filius priorem occupet locum? Neque ſolum hic ſed mille alijs in locis ſcriptura ſacra teſtatur Chriſtum ad dexteram patris ſedere, qui tametſi natura patri eſt æqualis, qua tamen filius, & qua homo eſt, cedere debuit patri primam ſedem. Scio hunc locum à Theologis exponi ſolere, *à dextris*, id eſt, *in bonis potioribus*, expoſitio certe nimis violenta atque male cohærens. Quod ſi *ad dexteram ſedere* honorificentius eſt, cur in eodem pſalmo ſubiungitur, *Dominus à dextris tuis*? aut quid ſibi vult hæc dexterarum permutatio, quod & Auguſtinus ſubdubitauit. Legimus præterea in 3. Regum libro cap. 2. de Bethſabe, cum veniſſet ad Salomonem filium nuper regno potitum, quod ſedit rex ſuper thronum ſuum & quod poſitus eſt thronus matri regis & *ſedit ad dexteram illius*. Illud quoque ex pſalmo 4. & 40. *Aſtitit regina à dextris in veſtitu deaurato*. Neque enim tantum reuerentiæ filius debet matri aut ſponſæ ſponſus, vt ſi ad publicum magiſtratum peruenerint, matri aut ſponſæ in aliorum maxime conſpectu priores ſedendi partes concedant. Iure igitur factum eſt, quod Qu. Fabius Maximus Conſul, cum pater Proconſul equo vehens illi obuiam proceſſiſſet imperauit Lictori, vt iuberet

ret patrem ex equo deſcendere, qui iuſſus paruit, filiumque collaudauit, quod dignitatẽ imperij retinuiſſet. Ego vero cum hanc ordinis ſedendi indignitatem mecum ſæpius reputarem, ſubijt mihi quædam ſuſpicio, alium fuiſſe apud antiquos ſedendi ordinem, quam qui ſit noſtris temporibus, vt videlicet, qui *ſederet ad ſiniſtram* eſſet potior eo qui *ſederet ad dexteram*: id quod poſtea multis argumentis fuit mihi exploratum atque compertum. Sed qua via in eam cogitationem peruenerim, paucis mihi enarrandum eſt. Principio quod illi qui potentiores aſſectabantur ſiue armati, ſiue inermes, tum *ſatellites*, tum *ſtipatores*, tum *laterones* ſiue *latrones* fuiſſe dictos, eoſdemque apud auctores dici aut *tegere latus*, aut *claudere latus*, aut *cingere latus*. Horatius in 2. Sermonum.

Vt ne tegam ſpurco Dame latus?

Iuuenalis.

Diuitis hic ſerui claudit latus ingenuorum
Filius.

Ouidius 4. de Ponto.

Dumque latus ſancti cingit tibi turba ſenatus.

Latus quoque *intectum* ſiue *nudum* dicebatur illius, quem nemo comitaretur. Ambroſius in ſermone de obitu fratris ſui. *Quod ſi quando ſine altero prodeundum fuit, intectum latus putares.* Seneca libro 3. Epiſtolarum. *Nudum*

erit

erit latus, incomitata lætitia. Is præterea qui alium comitabatur, dictus erat *ire exterior*. Cui vero præſtaretur comitatus, *ire interior*. Horatius vbi ſupra.

Ne tamen illi
Tu comes exterior ſi poſtulet ire recuſes.

Et ſubdit verba quæ ſupra retulimus.

Vt ne tegã ſpurco Damæ latus? haud ita Troiæ
Me geſsi.

Ouidius libro 5. Faſtorum.

Et medius iuuenum non indignantibus ipſis
Ibat, & interior ſi comes vnus erat.

De ſene loquitur, cui debetur honos à iuuenibus. Atqui reſtat probandum, quod *exterior* is dicatur qui ſit *ad dexteram* alicuius, & *interior*, qui *ad ſiniſtram*. Seruius Grammaticus enarrans illud Virgilij ex 5. Æneid.

Radit iter læuum interior,

Exponit pro *ſiniſterior*, citatque Ciceronem dicentem, *In quem omnia intus.* & Salluſtium in 2. hiſtor. *Introrſus prima Aſiæ Bithynia eſt.* vbi Cicero *intus*, & Saluſtius *introrſus*, pro *ſiniſtrorſus* acceperunt. Horat. quoque in 2. Sermonum.

Interiore diem gyro trahit, ire neceſſe eſt.

Vbi *interiore* pro *ſiniſteriore* ponitur, quod meridies mundi pars ſiniſtra eſt, quemadmodum ſeptentrio dextera. Lucanus in 3. Pharſaliæ.

Ignotum

Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem,
Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

Id eſt, meridionales etiam in æſtate. Ouidius quoque in 2. Metamorph.

Neu te dexterior tortum declinet ad anguem,
Neue ſiniſterior preſſum rota ducat ad aram.

Atqui anguem inter duas arctos in morē fluminis labi, & arā ad meridiem ſitam eſſe, nullus Poetarum, ſed neque Aſtrologorum ignorat. Colligamus igitur ex ijs quæ diximus eum qui ſit alterius comes, claudere aut cingere aut tegere latus, atque eidem *ire exteriorem* hoc eſt *ad dexteram* illius. Cuius vero latus clauditur, cingitur, tegitur *ire interiorem* hoc eſt *ad ſiniſtram*, qui locus erat dignitate præſtantior. Eſt præterea non contemnenda quædam ratio ſumpta ex eo, quod legimus Paulum Apoſtolum datum comitē *ad dexteram* Petri, quod in illorum imaginibus diſponendis pictores obſeruant, & in diplomatis Pontificum ſigillo munitis animaduertimus, vt Paulus ſemper ſit Petro *dexter*. Nūquid tanquam in potiori loco? Abſit vt Apoſtolorum principi alter quiuis præferatur. Nam quid ſibi vult gladius ille quem Paulus habet ſtrictum, niſi quod eſt Petri comes ſtipator atque ſatelles? Huius antiquitatis ignarus Thomas in illud Apoſtoli ad Galatas. c. 1. *Qui ſuſcitauit eum à mortuis*, commētum illud

oppoſuit. *quia præſens* inquit· *vita ſignificatur per ſiniſtram, futura vero per dexteram, in quantum iſta eſt cæleſtis & ſpiritualis, illa vero temporalis; ideo Petrus qui vocatus à Chriſto adhuc in carne mortali poſito, ponitur in bulla Papæ in ſiniſtra parte, Paulus vero quia vocatus à Chriſto iam glorificato, ponitur in dextra parte.* Reliquum eſt, vt ad quæſtionem Auguſtini de permutatione dexterarum reſpondeamus. Ille namque vt eſt in rebus quæ ad noſtram religionem pertinent, nihil affirmantis Academiæ imitator, videtur illam non penitus explicaſſe. Nos vero ex ijs quę in ſuperiorib. dicta ſunt reſpondemus, quod aut pater ſedet in throno maieſtatis ſuæ, & ita iubet filium ſibi *à dextris* hoc eſt *in ſecundo loco ſedere*, aut præſtat ſe filio tanquam ſtipatorem protectoremque, & tunc reponit filium in primo, hoc eſt in tutiori loco; & ſic dictum eſt *Dominus à dextris tuis.* vnde ſubdit. *Confregit in die iræ ſuæ reges.* Atque iterum in pſalmo 15. *Prouidebam domino in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.*

CAPVT XL.

Symbolum quid.

EX falſa nominum etymologia multi etiã ex viris doctiſſimis in miſerandos errores lapſi ſunt, vt in verbo *ſymbolum*, putãtes quod dicere-

diceretur à σὺν quod eſt *cum* & βόλος, quemadmodum ipſi interpretantur, *bucella*, finxerunt neſcio quæ ſomnia, & quæ nuſquam apud authores leguntur idoneos, Poſt aſcenſionem domini, ſiue poſt ſpiritus ſancti miſſionem, Apoſtolos in vnum locum congregatos compoſuiſſe *ſymbolum*, ita vt quiſque illorum ſingulos fidei articulos contulerit, vt Petrus primum, alter ſecũdum, alius tertium, & deinceps alij ſuos bolos dederint, quo nihil ineptius, ſed neque puerilius excogitari poteſt. Ego namque nõ diffiteor ex communi Apoſtolorum conſenſu ſiue illorum centum viginti, quos ſuo aduentu ſpiritus ſanctus afflauit, ſymbolum fuiſſe compoſitum, illud vero quod ſuam quiſque particulam contulerit, neque eſt credibile, neque veriſimile. In ijs enim quæ multorum decreto conſtituuntur, non vnuſquiſque ſuum verbum ſiue orationem dicit, vt inde quaſi ſenatuſconſultum conficiatur, ſed omnes eandem rem ſentiunt, aut vno ſententiam dicente, cæteri pedibus manibuſque in eandem ſententiam eunt. Sed decepit illos etymologia, quod βόλος eſſet *bucella* putantes, non minus ridicule quã in verbo *diabolus*, quod dicatur à dia quod eſt duo & bolus, cum potius interpretur *calumniator à διαβαλεῖν*, quemadmodum *ſymbolum collatio* à διαβάινω, quod eſt *confero*. Sed qua de

cauſa Apoſtolorum *ſymbolum* ſit vocatũ, Rũffinus presbyter Aquilcienſis in expoſitione *Symboli* ad Laurentium Papam multis verbis exponit, quę libuit hoc in loco apponere, vt authoritate tanti viri permoti, deſinant ſomniare ijs de rebus, quæ ad hiſtoriæ fidem pertinent. *Tradunt* inquit, *maiores noſtri quod poſt aſcenſionem domini cum per aduentum ſpiritus ſancti ſupra ſingulos quoſque Apoſtolos igneæ linguæ ſediſſent, vt diuerſis varijſque linguis loquerentur, per quod eis nulla gens extranea, nulla linguæ barbaries inacceſſa videretur & inuia, præceptum eis à domino datum ad prædicandum Dei verbum ad ſingulas quemque proficiſci nationes. Omnes igitur in vno loco poſiti, & ſpiritu ſancto repleti, breue iſtud futuræ ſibi prædicationis indicium in vnum conferendo, quod ſentiebat vnuſquiſque componunt, atque hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt. Symbolum autem hoc multis & iuſtiſsimis ex cauſis appellari voluerunt, ſymbolum enim græce & indicium dici poteſt & collatio, hoc eſt, quod plures in vnum conferunt. Id enim fecerunt Apoſtoli in his ſermonibus in vnum conferendo quod vnuſquiſque ſenſit. Indicium autem vel ſignum idcirco dicitur, quia in illo tempore ſicut Apoſtolus Paulus dicit, & in actibus Apoſtolorum refertur, multi ex circumuenientibus Iudæis ſimulabant*

labant ſe eſſe Apoſtolos Chriſti, & lucri alicuius, vel ventris gratia ad prædicandum proficiſcebantur. Idcirco iſtud indicium poſuerunt, per quod agnoſceretur is, qui Chriſtum vere ſecundum Apoſtolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis ciuilibus hoc obſeruari ferunt, quoniam & armorum habitus par, & mos vnus eſt, atque eadem inſtituta bellandi, ne qua belli ſubreptio fiat ſymbola diſtincta vnuſquiſque dux ſuis militibus tradit, quæ latine ſigna vel indicia nuncupantur, vt ſi forte occurrerent, quis de quo dubitetur, ſymbolum prodat ſi ſit hoſtis vel ſocius. Ex his Ruffini verbis ſatis colligitur & vnde dicatur ſymbolum, & quod à pluribus conſtituatur ſimul, & in quos vſus ordinetur, hoc eſt, ſit quaſi belli teſſera.

CAPVT XLI.

Simila & ſimilago.

INueninntur in ſacris literis frequenter hæc duo verba Simila & ſimilago, vt in Leuitico c.2. *Cum obtulerit oblationem ſacrificij domino, ſimila erit eius oblatio.* & ibidem cap.6. *Hæc erit lex ſacrificij, tollet ſacerdos pugillum ſimilæ.* & centum alijs in locis. Hinc ſimilago dicitur ea forma qua à farre farrago, à plumbo plumbago, cũ idem ſit ſimila quod ſimilago. vt Eccleſiaſt. cap. 35. *Retribuet gratiam, qui offeret ſimilaginem.* & ibidem. ca. 33. *Da ſuauitatem & memoriã ſimilaginis.* Sed quid

ea verba ſignificent,non vocabulorum interpretes, non ſacrarum literarum enarratores, non denique medici quorum ſcire hęc maxime intererat: at diuinarunt omnes ad vnum dicentes eſſe *florem purgatæ farinæ*,hoc eſt,*pollinem* illam ſubtiliſſimam quæ ex ſetaceorum concuſſione reſoluitur atque euolat, aut farinam per ſeticea cribra purgatiſſimam. Georgius Merula *delicias triticeæ farinæ* dixit eſſe, quod & ego fateor,ſed non quas ipſe putauit. ille namque reliquis omnibus videtur ſubſcribere dicentibus eſſe *farinam illam purgatißimam delicatißimamque.* Ioannes Baptiſta qui ex noſtræ tempeſtatis ſcriptoribus vult videri diligentiſſimus, plurimum aberrrat, putans eſſe genus leguminis. Sed nos quid *ſimila* ſit breuiter dicamus. Granum tritici molitum in tres partes reſoluitur. In cutem illam tenuem quam *furfures* medici, Plinius & Columella *ſaluiatum* appellant,reliqui farinæ purgamenta. In *nucleum* hoc eſt ſemen illud dulce & glutinoſum in medio ſinu grani,quod eſt genitale ſemen vnde erumpit radix atque tritici herba primùm, ac deinceps calamus. In *corpus* denique quod defendendi ſeminis gratia eſt à natura excogitatum, & quod cadens in terra moritur. vt dicit Saluator,Ioan.cap.12. hoc friabile eſt atque in farinam reſolubile, cum ſemen lentore ſuo vix reſolui poſſit. Fa-

rina

rina igitur ex tritico his tribus conſtat, *ſaluiato, ſemine, corpore*, quæ cum ſetaceo excernitur, vt dicit Virg. in Moreto.

Subſidit ſyncera foraminibuſque liquatur
Emendata ceres.

Reliqua duo eminent, quæ rurſus in eodem ſetaceo concuſſa, ſupernatat ſaluiatum, ſemen vero ſuo pondere it peſſum. atque ita ex crebra ſetacei concuſſione ſecernitur ſaluiatum à ſemine. & hoc eſt quod nos aſſeueramus dici *ſimilam* illam ex qua ſibi offerri ſacrificij oblationem Deus in ſcriptura toties exigit, & ad multos mortalium vſus accommodatam, vt dicit Martialis,

Non poteris ſimilæ dotes numerare nec vſus,
Piſtori toties cum ſit & apta coco.

Ex ea namque conficiuntur panes non modo guſtui iucundiſſimi, ſed quod ad alimenti rationem pertinet firmiſsimi. Nam qui ex polline conficitur, vt inquit Celſus libro 2. infirmiſsimus eſt, vnde panis αὐτόπυρος à quo ſimila non eſt excreta, quemadmodum *ſecundarius*, quem Trãquillus dicit Auguſtum appetiſſe, in quo ſaluiatum à ſimila non eſt ſecretum. Aſtipulantur huic meę aſſertioni Hebrææ literæ, quæ vbicunque nos habemus *ſimilam*, illi habent סלת ſoleth per ſama literam. Interrogati vero Hebræi, quid *ſoleth* ſibi velit, *acemit*, dicunt. atqui in Betica mea *ace-*

 mit

mit vocant, id quod ego *ſimilam* dico, ex qua in feſtorum celebritatibus faciunt delicatiſſimos panes, quales ſibi deus offerri vult Leuitici cap. 23. & 24. & Mauri atque Æthiopes qui apud nos degunt, ſuum illum peculiarem cibum concinnant, quem ſine honoris pręfatione nominare non licet, *alcuzcuz* appellant. Aſtipulantur quoque Terraconenſes quos opici Arragonenſes dicunt, paucis literis mutatis *ſemola*. pro *ſimila* vocant. Temperatur autem cibus ille oleo, melle, aromatiſque, cuius ſapori ſacræ literæ aſſimulant panem illum angelicum qui de cœlo cadebat. Exodi. 16. *Erat* inquit, *manna quaſi ſemen coriandri album, guſtuſque eius quaſi ſimilæ cum melle*. Frigebatur autem & oleo. vt in 2. Reg. c. 6. & in Paralipo. *Dedit Dauid vniuerſæ multitudini ſimilam frixã oleo*. Sidonius quoq; Apollinaris. *Similam frictam in quadam continentiæ ſartagine*. De *ſimilagine* quod idẽ eſt Serenus.

Additur excuſſus dulci ſimilagine furfur.

Et Cato de re ruſtica. *Selibram ſimilaginis indito*. Illud tamen aduertẽdum quod cum ſint multa tritici genera, quæ Plinius & Columella ad tria reducunt, *robum*, *ſiliginem*, & *trimeſtre*, in duobus vltimis vix poſſe dignoſci *ſimilam*, in *robo* vero *ruuion* Hiſpani vocant, non vbique facile poſſe diſcerni, in Betica vero mea quam facillime.

CAP.

CAPVT XLII.

Sin pro ſed ſi.

LAurentius Valla libro Eleg. 2. *Sin* inquit *pro ſi nunquam in prima partè collocatur, ſed in ſecunda, vbi fere eſt duorum oppoſitio*, aſſertque in teſtimonium illud Terent. ex Andria. *Si illum* inquit *relinquo, eius vitæ timeo, ſin opitulor, huius minas*. Illud quoque ex eodem. *Si hoc celetur in metu, ſin patefit in probro ſiem*. Virg. quoque 1. Georg.

At ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem
Ventus erit, vento ſemper rubet aurea phœbe:
Sin quarto exortu.

Nãque is certiſſimus author, & fere apud authores ſemper eodem modo hanc particulam inuenies poſitam. In ſacris quoque literis frequenter idẽ eſt illius vſus. vt Gen. c. 4. *Nonne ſi bene egeris recipies, ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit*. Exodi quoque cap. 21. *Si ſeruus habens vxorem fuerit & vxor egredietur ſimul, ſin autem & Dominus dederit illi vxorem* &c. Leuitici præterea. 14. *Si creuerit in cute lepra, contaminabit eam, ſin autem in loco ſuo candor ſteterit*. & quæ ſequuntur. In eodem quoque volumine, & Num. & Deut. ſemper in eadem ſignificatione reperies. In 3. quoque Reg. c. 1. *Si fuerit* inquit *vir bonus, non cadet nec vnus quidem capillus eius in terram, ſin autem malum inuentum fuerit in eo, morietur.*

Eſt etiam vt ait Valla quando *ſin* vnum reperitur, ſed quod ſecundi loci vim obtineat, neque tamen ſuperiori *ſi* reſpondeat. vt apud Virgil. 2. Georg.

Me verò primùm dulces ante omnia muſæ,
Quarum ſacra fero ingenti perculſus amore
Accipiant, cælique vias & ſidera monſtrent.

Et ſequitur.

Sin has ne poßim naturæ attingere partes.

Salluſtius quoque. *Imperat & precio inſidiatores Maßiniſſæ arceãt ac maxime occulte, ſin id parum procedat quouis modo Numidam interficiant.* In ſacris præterea literis eodem modo Geneſ. 24. *Accipies* inquit, *vxorem filio meo Iſaac.* Reſpondit ſeruus. *ſin noluerit mulier venire mecum in terram hanc, nunquid reducere habeo filium tuum ad locum de quo tu egreſſus es?* ſubintelligitur namque ſi voluerit mulier venire mecum, & tunc ſequitur, ſin noluerit venire. Exo. quoque cap. 10. *Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi.* & tunc ſubintelligendum, quod ſi feceris nihil tibi inferam mali. & tunc ſequitur. *Sin autem reſiſtis & non vis dimittere eum, ecce ego inducam locuſtam* &c. Et infra cap. 12. *Tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas, ſin autem minor eſt numerus quam ſufficere poßit* &c. ſubauditur namque ſi familia eſt tanta quæ poſſit agnum abſumere. Et infra cap. 17. *Cumque leuaret Moy-*

ſes

ſes manus, vincebat Iſrael, ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amelech. tantum enim valet cum leuaret manus, quantum ſi leuaret manus. Item Leui. cap. 5. *Offerat de gregibus agnum ſiue capram,* ſubaudi ſi habuerit. deinde infertur, *ſin autem non poterit offerre pecus.* atque pari modo alijs cōpluribus in locis. Quare *ſin* vtrobique pro *ſed ſi* eſt accipiendum. nam particula *autē* cōpletiue ponitur, cū in voce *ſin* contineatur. Quod vero *ſin* pro *ſi* nō accipi aliquando poſsit, nuſquam apud authores legitur, id quod frequenter in ſacris literis reperias. Sed recte an perperam, alterius loci eſt diſputatio. Eccleſiaſtici. cap. 5. *Si eſt tibi intellectus reſponde proximo, ſin autem ſit manus tua ſuper os tuum. ſin* poſuit pro *ſed ſi non.* Primo quoque Machabæo. cap. 15. *Tradite* inquit *ciuitates quas occupaſtis, ſin autem venimus & expugnabimus vos.* Lucæ. 13. *Et ſi quidem fecerit fructum,* ſubaudi excoletur ficus illa. & tunc infertur. *Sin autem, in futurum ſuccides eam.* & Apocalyp. cap. 2. *Pœnitentiam age & prima opera fac, ſin autem, venio tibi & amouebo candelabrum de loco ſuo.* quibus in locis omnibus *ſin* pro *ſed ſi* non nimis violenter accipitur.

CAPVT XLIII.

Striatus.

Legi-

LEgimus libro Regum 4.cap.6.de cratere ſiue concha illa ænea quam pręcepit fieri Salomon. *Fecit mare fuſile decem cubitorum.* & paulo poſt. *Duo ordines ſculpturarum hiſtriatarum erant fuſiles.* Omnes quos ego vnquam vidi exponunt *hiſtriatarum* pro *hiſtoriatarum*, quaſi in ipſis ordinibus eſſent hiſtoriæ aliquæ ſculptæ, quod non longe eſt à veriſimilitudine. Sed quod *hiſtriatarum* pro *hiſtoriatarum* interpres poſuerit, eſt quidem nouum atque inauditum, cum præſertim in hebræo nihil tale contineatur. Ex quo fit vt ſuſpicer non *hiſtriatarum*, ſed *ſtriatarum* debere legi. Eſt quidem *ſtria* apud Vitruuium in ſculpturis partes quæ prominent, & quaſi quædam fœmora, ſiue illa ſint columnarum ſiue fornicum, has Græci ἐξοχὰς vocant. Contra vero partes cauæ quibus *ſtriæ* prominent, *ſtrigiles* dicuntur à Vitruuio. vt libro 4. *Circa ſtrigilium* inquit *caua & angulos ſtriarum*. Idem libro 7. *Canaliculas earum quæ ſtrigiles appellantur*, vtrumque ductum à ſtringendo ſiue ſtrigando hoc eſt poliendo. Plinius de fungis libro 22. *Rimoſa* inquit *ſtria*. nam fungos nemo ignorat eſſe ſtriatos & in ipſa ſtria rimoſos. Hinc *ſtriata* dicuntur canaliculata & tumorem mediarum partiũ quas diximus *ſtrias* appellari. Apuleius 10.Meta. *Striatam* inquit *gerens frontem* pro rugis ſulcatam. Plinius libro

bro 21. *Candor lilio eximius folijs foris ſtriatis*, habent enim lilia venas prominentes in modum ſtriarum. Idem libro 9. de generibus concharum, quaſdam ſtriatas appellat, id eſt à parte exteriori canaliculatas quales plæraſque videmus. De quibus Plautus in Rudente. *Captamus conchas plaguſias ſtriatas*. Sidonius quoque Appollinaris. *Latus vtrumque ſenis cauatur ſtriaturis*.

CAPVT XLIIII.

Stibium.

IN 4. Reg. libro c. 9. legitur quod Iezabel vxor Acab regis depinxit oculos ſuos *ſtibio*. Itē in Hieremia c. 4 *Cum veſtieris* inquit, *te coccino, cum ornata fueris monili aureo, & pinxeris ſtibio oculos tuos, fruſtra componeris*. Ex ijs qui hæc loca expoſuerunt, nemo intellexit, ſed nec ſuſpicatus eſt quid *ſtibium* ſit. Nicolaus Mamotrectus & Catholicus *ceruſam* interpretantur. Cantor Pariſienſis eſſe inſtrumentum putat quo mulieres pilos ſuperciliorum trahunt, *volſellas* id Latini appellant. Archiepiſcopus Cantuarienſis, quod eſt *color*, ſed non contrahit illum ad ſpeciem vt dicat qui color ſit. Hugo Cardinalis quod eſt *vnguenti genus* quo tincta facies efficitur rubra, volens opinor purpuriſſum ſignificare. Quis vero ſanæ mentis diceret quod ſit *ceruſa*? aut quæ vnquam fœmina ornatus cauſa

medi-

medicamento albo circa oculos vſa eſt ? niſi forte neque ipſum *ceruſæ* nomen quid eſſet intellexerũt,cum ſit albor ille ex plumbo deraſus,quem Græci ψιμμύθιον vocant,dictum à ψιμμυθιόω quod eſt colore albo linire ſiue fricare. Sed neque *purpuriſſum* poteſt intelligi, cum nihil minus ad oculorum pulchritudinem faciat quam vllum rubricæ genus.Nã qui *volſellam* dixit eſſe *ſtibium* hallucinans dixit,quia oculorum facta fuit mentio.Quid igitur *ſtibium* ſit Plinius libro 33 manifeſte oſtendit . *In metallis* inquit *argenti inuenitur ſpumæ lapis candidæ nõ tamen tranſlucentis,ſtimmin appellant,alij ſtibium, alij alabaſtrum, aliqui larbaſon,vis eius reſtringere ac refrigerare,principalis autem circa oculos.* Namque ideo & πλατυόφθαλμον id appellant, quoniam dilatet oculos & fluxiones inhibeat. Quod vero Plinius dixit *lapis ſpumæ candidæ*, id eſt, albicantis,illud eſt antequam teratur . nam tritus in nigrorẽ vertitur fuligini ſimilem. Hieronymus ad Furiam . *Non habuit criſpantes mitras neque oculorum orbes ſtibio fuliginatos*. Nondum fortaſſe expreſsimus quid *ſtibium* ſit, eſt quod vulgus medicorum appellat *antimonium* quod Hiſpani *alcohol*, Quod vero ſtibiũ ſit antimonium teſtatur Galeni interpres,qui ſemper στίμμιν *antimonium* interpretatur . Iã vero *ſtimmin* & *ſtibium* & *alabaſtrum* & *larba-*

ſon

ſon & πλατυόφθαλμον ſynonyma eſſe ſatis ex Plinio colligitur. Decipiuntur ergo tempeſtatis noſtræ Medici accipientes *ſtibium* pro χαλκοκαυμένῳ, id eſt, pro ære combuſto, hoc eſt *albadida*, ex eo fortaſſe decepti quod æs combuſtum & *ſtibium* commune ſit medicamentum oculorum. Luſit diuus Gregorius in calce commentariorum quos ſcripſit in librũ Iob, exponẽs nomẽ tertiæ & illius filiæ, hoc eſt *cornuſtibium* quaſi eſſet compoſitum à *cornu* & *tibia* inſtrumentis muſicis, cum ſit à *cornu* & *ſtibio* hoc eſt gutto corneo in quo reponitur *ſtibium*, vt ſit *cornuſtibium*, Hiſpanè *alcoholera*. Nam & in libro Regum, & in Paralip. & Hierem. apud Hebræos פוך Puch, hoc eſt *ſtibium* legitur: & in Iob קרן הפוך qeren happuch, id eſt *cornu ſtibij*. nec minus in hoc Hebræi decipiuntur, qui pro *hapuch* per p exile habent *haphuc* per ph aſpiratum: itaque pro *ſtibio* interpretatur *intortum*, ſed ego magis credo interpreti Hieronymo, atque adeo rationi, quam Hebræorũ literaturę.

CAPVT XLV.

Talitha & tabitha.

SCribit Marcus Euang. cap. 5. quo pacto ſaluator noſter ſuſcitaturus Iairi filiam archiſynagogi, præſens puellę manum dixit, טליתא קומי talitha cumi. & ſubdit Euangeliſta, *quod interpretatur puella tibi dico ſurge.*

Scri-

retur de nominibus habẽtibus l. literam poſt a. Tametſi fuerunt ridiculi qui pro *Talitha* ſcripſerunt *tabitha*, cum in dictione ſuperiori immediata ſit *talim*, in inferiori *talme*. vnde fit vt ex ratione ordinis debeat ſcribi *talitha*. Sed cum טליתא talitha ſit *puella*, קומי cumi *ſurge*, ambigeret fortaſſe quiſpiam, vnde conflatum eſt; quod Euangeliſta interiecit, *tibi dico*. Neque enim in ſermonis ſerie continetur. Hieronymus de optimo genere interpretandi ſcribẽs ſimilem huic quęſtionem ad ſeptuaginta interpretum voluntatem refert: qui pro eo quod apud Hebręos ex principio Pſal. 21. legitur. *Deus Deus meus quare me dereliquiſti*: quę verba ſunt à ſaluatore noſtro in cruce repetita: ipſi *reſpice in me*, interpoſuerunt, dicentes: *Deus Deus meus reſpice in me quare me dereliquiſti*. Nos tamen in commentarijs artis Grammaticæ cauſam attulimus cur illud *reſpice in me*, poſuerunt ſeptuaginta, & *tibi dico* ab Euangeliſta ſit interiectum. Diſputabamus contra eos qui dicebant vocatiuum aliquando poni abſolutè: diximuſque ſemper regi à ſecunda perſona imperatiui explicita vel ſubintellecta: idque præcipue fieri, cum oratio ex recta ſit obliqua: vt ſi dixeris, *o Cæſar legat Pompeius*, ſubintelligitur namque, *audi* vel *attende*. Quod ſi vocatiuum ſequeretur verbũ impe-

ratiui modi quod non ſignificet attẽtionem, intelligendum eſſe aliud verbum à quo vocatiuus ille regeretur: vt ſi dixeris, *ô Antoni lege*: ſubaudiendum eſt verbum quo præparetur auditoris attentio, hoc eſt *audi* vel *percipe*. Itaque verbum quod erat implicitum, ſeptuaginta expreſſerunt dicentes, *reſpice in me*. & Euangeliſta cum dixit *tibi dico*: quod tantum valet quantum *audi* vel *attende*. vnde mora quædam ſiue ſilentium ſemper interponitur inter vocatiuum & ſequens verbum, in quibus *reſpice* & *tibi dico* poterant enunciari.

CAPVT XLVI.

Tibicines.

IN Matthæo. cap. 9. legitur: quod cum veniſſet Ieſus in domum Iairi principis ſynagogæ, illius filiam ſuſcitaturus *vidit tibicines & turbam tumultuantem*. Quæreret fortaſſe curioſus quiſpiam, quid illud eſt quod *tibicines* funeris pompæ interſunt? An quod Boetius in prooemio artis muſicæ ſcribit, vt cum cantico quodam dulcior fiat cauſa flendi. Sed iam non illud quærendum eſt cur in funere cantus adhibeatur, ſed cur *tibicines* in funere puellæ interueniant: cum in exequijs virorum *tubicines* canant. Perſius.

Hinc tuba candelæ, tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto.

Et Virg.

Et Virg. 11. Æne. in funere bello peremptorũ

Spargitur & tellus lachrymis, ſparguntur
& arma:
It cœlo clamorq; virum, clangorque tubarum.

Sed *tibia* nimirum in funere puerorum puellarumq; adhibebatur, quaſi inſtrumentũ exile atque anguſtæ vocis. de quo Martialis.

Parui tibia condyli ſonabit.

Papinius in 6. Thebaidos in funere infantis Archemori.

Tibia cui teneros ſuetum deducere manes
Lege Phrygum mæſta.

Quem locum exponens Lactantius Placidias. *Iubet* inquit *religio vt maioribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur*. Tale aliquid apud nos quoque hodie obſeruatur, vt in funere virorum cymbala, ac tintinabula maiora, in funere infantium minora pulſentur. Non igitur temerè dixit Euangeliſta in ſupremo luctu puellæ interfuiſſe *tibicines*, quos Saluator noſter iuſſit diſcedere.

CAPVT XLVII.

Traducere quid ſit in Matthæo.

[redacted]

IN Euangelio Matthæi. cap. 1. legitur. *Ioſeph autem cum eſſet vir iuſtus & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*. Sed quid illud verbum traducere hoc in loco ſignificet paucis admodũ eſt manifeſtum. propter aliam remotiorem verbi ſignificationem

ab ea quę eſt in promptu, nam cum latinè dicamus, *ducere vxorem domum*, videtur etiam latinè dici poſſe *traducere vxorem* : quemadmodum in epigrammate Callimachi de æquali ducenda vxore.

Atque parem paruas lætus traduxit in ædes.

Non reſpicientes itaque reconditam alteram ſignificationem ſic expoſuerunt : quod cum Ioſeph eſſet vir iuſtus *noluit domum ad ſe traducere Mariam tanquam ipſo indignam.* Alij hallucinati ſunt id quod erat : expoſueruntque *traducere*, id eſt, *propalare.* Gloſſa quam dicunt ordinariam vtrumque tangit dicens : *cum nollet eam traducere in publicum*, id eſt, diffamare: *voluit hoc facere occulte:* vel *non voluit eam traducere in domum ſuam ad cohabitationem aßiduam* . hi duo ſenſus cum ſint diuerſi ac pene contrarij: ego non video quomodo poſſint ſtare ſimul: neq; enim quia hoc verbum *traduco* diuerſos habet ſignificatus: quilibet illorum propterea ſenſui poteſt accommodari. Sed vter illorum magis ſit veritati conſentaneus : diſcutiendum nobis eſt. Iam illud in primis ſatis conſtat in Teſtamento nouo, quoties aliquid venerit in dubium ad originem grecam eſſe recurrẽdum, cum præſertim nulla talis æquiuocatio in græcis reperiatur, niſi admodum raro. Atqui in græco pro eo quod nos habemus traducere πα-

re παραδειγματίζειν habetur quod ſignificat *in exemplum dare* aut *exemplum facere*. aut ſi volumus verbum ex verbo interpretari vt ſic dicam *exemplare* quod Hiſpane dicitur *dexemplar*. nam παράδειγμα eſt exemplũ & inde παραδειγματίζομαι *exemplum* trado aut *in exemplum do* ſiue *traduco*, quod verbum potius elegit interpres: quia tantumdem polleret. cuius ſignificatio omnibus tunc erat nota: quemadmodũ hominibus noſtri ſeculi abſtruſa & occulta, nam poterat lectionem græcam ſecutus interpres vertere: *cum nollet eam in exemplum dare* quemadmodũ apud comicos legimus frequenter, vt in oratione Demoſthenis contra Æſchinem. *præcipuum quidem fuerit ſi poteſt: occidatur: ſin minus viuentium cæteris exemplum faciatis*, pro quo in greco παράδειγμα ποιήσαται legitur. vnde & apud poetas pro graui & atroci pœna ponitur *exemplum* quod Hiſpanè dicitur *eſcarmiento*. ſed quia huic quod eſt græcè παραδειγματίxαι non reſpondet latinè verbum quod ęque polleat, nã id eſſet *exẽplare*. interpres accepit aliud quẽadmodum dixi illis tẽporibus frequens, noſtris ſeculis minus vſitatũ, hoc eſt *traducere*: quod ſignificat eo modo circũferre & ludibrio exponere, quẽadmodũ noſtro ſeculo polygami & lenę mitellatę circunferuntur per vrbis vias celebres aut in

ſcalario gradu proponuntur plebi deridendæ, in hac ſignificatione accepit Iuuenalis cum dixit:

Altera quos nudo traducit Gallia talo.

& Martialis de delatoribus:

Traducta eſt Geticis, nec cepit arena nocentes.

Idem alio in loco:

Rideris, multoque magis traduceris Afer,
In medio nudus ſi ſpaciere foro.

Propertius Elegiar. lib. 2.

Nec ſic infamis totam traducerer vrbem.

& Papinius in ſyluis:

Nempe ego ſum qui traducor.

ait Liuius libro 2 ab vrbe condita de Volſcis voce præconis à ſpectaculis exactis: *Nos*, inquit, *omnibus ciuibus peregrinis ſpectaculo abeuntes fuiſſe vestras coniuges, vestros liberos, per ora hominum traductos.* Tranquillus quoque in Veſpaſiano, *delatores*, inquit, *aßiduè in foro flagellis ac fuſtibus cæſos, ac nouißime traductos per amphitheatri arenam.* eiuſdem prope ſignificationis eſt verbum, quod à Græcis dicitur καταμυδιᾶν, hoc eſt, *deridere & ludibrio exponere*. quo verbo vſus eſt Ælius Spartianus de conſtitutionibus Hadriani Cæſaris: *Decoctores*, inquit, *bonorum ſuorũ auctoritatis eſſent catamidiari in amphitheatro ac dimitti fas ſit*, ex quibus colligitur *traducere* & *catamidiare* citra mortem fieri ſolitum cum in adulterio depre-

deprehenſa ex lege foret lapidibus obruēda. ſed interpres latinus non potuit Græci verbi vim exprimere quod vtrumque comprehendebat.

CAPVT XLVIII.

V literæ varius vſus.

V Litera apud latinos triplici fungitur officio. nam modò profertur quaſi *vocalis plena* vt Deus tuus, modò vt *vocalis liquida*. id eſt, cùm ſequitur poſt q. ſemper, aut poſt g. & ſ. aliquando, vt aqua, lingua, ſuauis. modo vt *conſonans*, hoc eſt, quando ferit ſequentem vocalem: vt vado, venio. Hebræi v. liquidam non habent, quia ſemper apud illos aut *vocalis* eſt, aut *conſonans*. ſed *vocalem* per apices, *conſonantem* per propriam figuram deſignant. Græci neque habent v. *liquidam*, neque v. *conſonantem*, ſed proferunt vocalem; cui tamen non dederunt propriam figuram, qua poſſent illam ſcripto repræſentare, ſed ſupplent illius ſonū per ου diphthongon. Quod ſi verba Hebraica in ſuam linguam interpretari volunt, pro v. conſonante transferunt ου diphthongon, quā proferunt quaſi vocalem. Quæ verò apud Hebræos poſt a. vel e. u. conſonantem habent, Græci per αυ. & ευ. diphthongon ſatis commodè ſcribunt; vt auoth, eſau, eua, caſleu, vbique proferentes quaſi per u. conſonantem. Cùm verò latina vocabula

in ſuam linguam adciſcunt. u. vocalem per ου diphthongon ſcribunt. u. quoque conſonantem latinam æque per ου diphthongum deſignant: & nihilominus quaſi vocalẽ proferunt: vt Veſpaſianus, Οὐεσπασιανὸς, Siluanus, Σιλουανὸς hoc eſt prius nomen ſex ſyllabis. ſequens quatuor. At vero. *u. liquidam* poſt q. modo expũgũt, vt pro eo quod latini dicunt *Quirinus* ipſi *Cyrinum* transferunt diſpuncta. u. litera. Vt in euangelio Lucæ, *Hæc* inquit *deſcriptio prima facta eſt à præſide ſyriæ Cyrino*, modo vertunt illam in. u. vocalem. vt pro eo quod latini dicunt *quartus* per. u. liquidam: ipſi κούαρτος per cappa & ου. diphthongon vocalem interpretantur. vt Paulus in calce Epiſtolæ ad Romanos. & iterum ſecundæ ad Tim. Illud vero nõ poſſum nõ mirari: cur Hieronymus qui dixit pro eo quod eſt *quirinus* inter latinos & à græcis ſcribi *cyrinus*: cur rurſus cum ex græco interpretatur in ſermonem latinum ſcribit *cirinus* & non *quirinus*? Sed eſto quę ab hebræis per u. conſonantem ſcribuntur proferunturque, græci per ου. diphthongon ſcribãt: & per ſonum. u. vocalis enunciẽt neceſſitate poſſunt excuſari: quoniam vt diximus. v. conſonantẽ non habent. At latini qui non minus quã Hebræi. u. conſonantem habent: qua ratione ſe tueri poſſunt. u. conſonantem proferentes

tes quaſi vocalem. & u. vocalem rurſus quaſi conſonantem. vt quod in libris Regum & in Paralipomenis ſæpè ſcribitur צרויה Seruia pro matre Ioab eademq́ue ſorore Dauid regis, & quod in Geneſi מחויאל Mechuiael pro filio Ired. Quodque iterum in 2. Regum volumin. ארונה Arauna Iebuſæus legitur apud Hebræos. u. conſonans eſt, quare à latinis quaſi conſonans eſt proferēda, nō vt vocalis, quemadmodum ab imperitis rationis eius profertur. atq; è contrario quod in Daniele & in lib. Eſther ſcribitur אחשורוש achaſueros, quodque in Geneſi pro quodam filio Aſer ישוה Iiſua, à quo in libro Numerorum eſt familia *Ieſuitarum*: quodque in 4. Reg. volumin. & in Eſaia ספרוים ſepharuaim non per u. vocalem, vt iſti legunt, ſed per u. conſonantem proferenda eſt.

CAP. XLIX.

Zelotes pro Cananæus.

SImon vnus ex duodecim Chriſti Diſcipulis ad differentiam Simonis Petri *Cananæus* cognominatus eſt, quod fuerit ex *Cana* ciuitate Galilææ: in qua Dominus aquā in vino mutauerat. Sed & ſi קנא canna ex hebrẹo ſermone interpretetur *Zelus* in literis ſecularibus non liceret etymologiam proprij nominis interpretari: vt pro *Simone Cananæo*

Simon Zelotes vertetur: non magis quàm ſi pro Gregorio, Theodoro, Phrontiſco, Vigilantium, Deodatum, Prudentium quiſpiam interpretetur. Aut propterea quod *Plato* interpretatur *latus*, & *athena* ſit *Minerua*; pro *Platone Athenienſi* quiſpiam transferret *latum mineruale*m. Quandoquidem nominum propriorum ſiue hominum ſiue locorum ſignificationes & etymologiæ in aliam linguā vertendæ non ſint: quod & ſeptuaginta Interpretes, & qui poſt illos ſunt ſecuti, pertinaciſſimè obſeruarunt: nam quid abſurdius dici poſſet, quā ſi pro eo Hebraicè dicitur *Adam ex Eua genuit Abel*, quoniam *Adam* interpretatur homo, *Eua* mater viuentium, *Abel* vanitas ſiue vapor ſiue nihil hoc: quiſpiam interpretaretur *homo ex matre viuentium genuit vanitatem* ſiue *vaporem* ſiue *nihil hoc*. Iure igitur Hermolaus Barbarus in Thucydidis interpretatione Laurentiū Vallam notat, quod pro eo quod eſt ἰχθῦς græcè, latinè eſt *piſcis*, aut quod Strabonis interpres *paradiſo cœleſyriæ oppido* viridarium interpretatus eſt: non quod *παράδεισος viridarium hortumque* non ſignificet, ſed quod nomina oppidorum propria, ſicut & hominum in quacunque lingua retineri ſolent. Apud auctores tamen ſacrarū literarum, quibus non ſolùm nomina ſignificant res, ſed etiam deinceps res ipſę poſſunt ſignifi-

ſignificare alias res; licet aliquando non tantũ nomina, ſed etiã res ipſas quæ per ea ſignificantur, interpretari: & ſic pro eo quod vnus Euangeliſta dixit, *Simon Cananæus*, alter dicere potuit *Simon Zelotes*: quod ex Græco ſermone interpretari in Latinum poteſt amator, qui non patiatur cõſortem in eo quod amat. Hac eadem ratione defendi poteſt, quod Hieronymus in 2. Regum 21. cap. interpretatus eſt אלחנן בן יערי Elchanan Ben-jaare. *Adeodatus filius ſaltus*, propterea quòd אלחנן Elchanan eſt *à Deo datus*, בן ben, *filius*, יערי jaare, *ſaltus*, in regimine à יער jaar *ſylua*. E cõtrario fecit idem interpres in Geneſi c. 38. pro nomine appellatiuo quaſi proprium interpretatus. *Vidit*, inquit, *Iudas filiam hominis Cananæi vocabulo Sue*: vbi כנעני Kenaani, quod alioqui nomen eſt gentile ſiue aliquis de genere *Canaan*: quemadmodum in Hebræo legerat reliquit, cùm in eo loco pro *mercatore* accipiatur. In qua ſignificatione etiam accipiendum eſt quod in calce Prouerbiorũ legitur. *Sindonem fecit & vendidit & cingulum tradidit Cananæo*, nam vtrobique *Cananæus* pro *mercatore* accipi debet, cùm ſit aliàs, vt diximus, *quiſpiam de gente Canaan* filij Cham filij Noe. Aliquando etiam ab auctoribus nomina propria transferuntur: ſed non quaſi propria, ſed tanquam appellatiua. vt pro ſeptem mõtibus

Africæ

Africę, qui mari Athlantico impendẽt: quos græci Επταδέλφυς appellãt: Pompon. Mela *ſeptem fratres* dixit, quoniam ob ſimilitudinem, & æqualitatem, inter ſe fratres dici poſſunt, ob numerũ, ſeptẽ. Sed quando licitũ ſit huiuſmodi nomina interpretari, quando nõ licet: opus eſt partim prudentiæ, partim fœlicitatis cuiuſdã: prudẽtię, inquã, quia euentus eſt dubius quã in partẽ id quod audeas accipiendũ ſit: vt ſi *dueñas* in *dominas* verteris, nõ abſurdè fortaſſis erit factum illud planè ridiculum, ſi pro *tor de ſillas*, *iugum* ſiue *turrem ſellarum* dicas: ſed & aliàs pluribus.

CAPVT L.

Zona.

LEgimus in Euang. Matt. c. 10. *Nolite poßidere aurũ neq; argentũ, neq; pecuniã in Zonis.* In Marco etiã c. 6. *non peram, neque in zona æs.* Sed cũ *zona* ſit *cingulum* ſiue *ſemicinctium*, hoc eſt, quod è regione vmbilici hominẽ cingit mediũ: quid ſibi vult quod Euangeliſtæ ſcribunt; *pecunia ſiue æs in zona?* aut quomodo pecuniæ in zonis cõportantur. Niſi forte vt nos Hiſpani conſueuimus marſupia illa zonis appendere, quæ paſtores appellãt *eſcaria*: quod in illis deferre ſolẽt annulos ferreos, ſilices & ignis eſcas, hoc eſt, fungos aridos, & fomitem vnde ſcintilla excuſſa rapit flammã. Nos verò non tale cingulũ, ſed *ſcorteum ſacculum* intelligimus:

ligimus: qui pecunijs impoſitis cingitur, & pro cinctu poteſt eſſe vſui, atque viatico importando. Tales ſacculi ex *corio* me puero erant: quo tēpore non tā frequentes aurei atq; argentei nūmi verſabātur, ſed ærei magna ex parte, quo viatores cincti faciebant iter, in eo viaticū deferentes, hoc eſt pecunijs ad ſumptus viatorios. Itaq; *zona* nō tam pro cingulo accipienda eſt quàm pro marſupio & loculis nūmorum refertis accipitur. Apuleius li. 7. de aſino. *Plotina*, inquit, *precioſiſsimis moniliū & auro monetali zonis refertis incincta*. Suetonius quoq; ſcribit, *Vitellium zonā ſe aureorum plenā circumdediſſe*. Spartianus etiā Peſceniū nigrū Imperatorē iuſſiſſe *ne milites in zonis nummos aureos vel argenteos portarēt ad bellum*. Lāprid. quoq; Alexandrū Cæſarē dicere ſolitū ait: *miles nō timet niſi veſtitus, calceatus, & ſatur, & aliquid in zonula habens*. & ferè hęc eſt conſuetudo Hiſpanorū, vt cingulo burſam eſcariam applicent, in qua portent nummos. Itaque Saluator noſter diſcipulis interminatur ne portent zonam. In hoc ſignificatu accepit Vulpianus in tit. de bonis damnatorum. l. diuus. *Neque ſi zonam*, inquit, *circa ſe habuerit, protinus aliquis ſibi vindicare debebit*. Accurſ. *Zonam* putauit eſſe cingulum magni precij.

FINIS.

INDEX

INDEX CAPITVM QVINQVAGENÆ ANT. NEBRISSENSIS.

ARcheutina & Thina ligna quæ ſunt. 2. Paralip.2. *Cap.1.*

Artemon, quid. Actor.27. leuato Artemone ſecundùm auræ flatum tendebat ad littus. *Cap.2.*

Azotus, pro Aſdod, vt in Hebræo eſt, legitur ſæpe. *Cap.3.*

Aurichalcum. Apocal.1. *Cap.4.*

Bethſaida pro Betheſda. Ioan.5. *Cap.5.*

Bethdagon. 1. Reg.5. 1. Machab. qui & Dercetus Aſtarte. 3. Reg. cap.11. *Cap 6.*

A bimatu, & infra. Matth.2. *Cap.7.*

Camelopardalis. Deuter.14. *Cap.8.*

Caſtores. Act.28. Nauis inſigne Dioſcori. Inſignia nauium, Strabo. Horatius. lucida ſydera. & de S. Telmo Vincentius Iuſtinianus. *Cap.9.*

Charadrius. Leuit.11. & Deut.14. *Cap.10.*

Cynos pro Schino in Daniele cap.14. *Cap.11.*

Cœmiterium non cimiterion. Vide & Petrum Victorium. *Cap.12.*

Collirida. 2. Reg.6. & Leuit.6. *Cap.13.*

Daphne quid. Numer. cap.34. *Cap.14.*

Debora, non Delbora. Geneſ.35. & altera libro Iudic. *Cap.15.*

Dextera

Dextera, numerandi ratio. Prouerb. 3. Computatio per digitos. loci multi emendantur. Triginta nuptias, ſexaginta viduas, virgines centenarias ſignificat. Cap. 16.

Drama, atis. Frequentate nobis dulcia cantica dramatis, & Epithalamium quid. Cap. 17.

Electrum. Ezech. 1. cap. Cap. 18.

Euroaquilo. Act. 27. Cap. 19.

Gaius pronunciandum, non Caius. Cap. 20.

Git ſiue Melanthium quid & Cyminum. Cap. 21.

Herba fullonum. Malachiæ 3. Cap. 22.

IESVS nomen an Ieſuah, Latinis Ioſue. Cap. 23.

Ioannes Simon Bar-Iona, In Ioan. eſt Simon Ioannes. Cap. 24.

Luſtrum an quoque annorum ſpatium. Cap. 25.

Moyſes an Moſes ſcribendum diſyllabum, an triſyllabum. Cap. 26.

Mænianum quid ſit. Eſræ 6. Cap. 27.

Meditor, pro exerceor, Geneſ. 24. Prouerbior. 8. Cap. 28.

Melita inſula. Act. 27. Cap. 29.

Micol, pro Merob legitur. 2. Reg. 21. Cap. 30.

Mygale quid. Leuit. 11. Cap. 31.

NON particula adiecta ſæpe; vel detracta. Cap. 32.

Onocrotalus. Leuit. 11. Cap. 33.

Paſah, Phaſe, Paſcha. Exod. Cap. 34.

Python, vulgo male Phiton. Exod. 20. Pytho, Pythoniſſa. Cap. 35.

Porphyrio

Porphyrio. Leuit.9. Cap.36.
Scruta.3.Reg.10.Horat.Sidonius, Aug. Politianus.30. Cap.37.
Secunda varietate, al. circumdata. Pſalmor.44. Polymita veſtu. Cap.38.
Sedere ad dextrã aut ſiniſtram.3.Reg.2. Cap.39.
Symbolum, quid. Cap.40.
Similia & ſimilago. Leuit.2.& alibi. Cap.41.
Sin pro ſed ſi contra Vallam, 2. Elegant. Cap.42.
Striatus.4. Reg.6. Cap.43.
Stibio oculi ornabantur, 4. Reg.9. Ezech. Hierem. Hirp. Alcohol. Plinius, adde Xenophontis loca. Cap.44.
Talitha & Tabitha. Marc.5. Cap.45.
Tibicines in funere. Matth.9. Cap.46.
Traducere. Matth.1. noluit eam traducere, παραδειγματίζεσθαι, in exemplum dare, aut exemplum facere. Cap.47.
V literæ triplex vſus. Cap.48.
Zelotes, Simon vnus è duodecim ad diſcrimen Petri. Cap.49.
Zona, Matth.10. Nolite poſſidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris. Cap.50.

FINIS.

GASPA-

GASPARIS VARRERII LVSITANI COMMENTARIVS DE OPHYRA REGIONE in ſacris litteris lib. III. Regum. & II. Paralipomenω̃n.

D. IOANNI III. PORTVGALLIÆ ET ALGARbiorum Regi inclyto, Africo, Æthiopico, Arabico, Perſico, atque Indico, Gaſpar Varerius S. P. D.

CVM animaduerterem, Rex inclyte; varias & diuerſas Doctorum virorum opiniones & ſententias: de Ophyra *regione, quæ olim Salomoni Iudæorum regi, innumera penè auri pondo ſuppeditare ſolita eſſet, cepit me auiditas quædam inexhauſta inueſtigandi, quonam terrarum ſitu hæc regio eſſet poſita. Nam alij* Sofalam *inſulam credidere. Multi* Hiſpaniolam, *vt vocant, aliam nuper repertam inſulam, opinati ſunt. Plurimi apud Indos eſſe ſtatuentes, nullum tamen certum atque defi-*

nitum in tam vaſta & ampla regione locum expreſſerant. Quo maiore ſtudio huiuſce diſquiſitionis, vt dixi, incendebar. Itaque cœpi rem perpendere, auctores euoluere, quam rationem habuerint ſingulæ vniuscuiuſque ſententiæ obſeruare, multa exquirere, plura ratiocinari, eodem denique inueſtigando peruenire, vt, Ophyram regionem: in illis oris, quæ in India vltra Gangem ſub tuo imperio & ditione ſunt, omnino eſſe deprehenderim. Quam vero rectè aliorum ſit iudicium, certe perdiligenter, quantum mea tulit & eruditionis & ingenij tenuitas. De qua regione hunc commentarium elucubratus ſum. Quem vt tibi dicarē: multæ me cauſæ, multæ impulerunt rationes. Vt enim prætercam, oram illam Gangeticam, tuo nutu & ditione gubernari, ad eamque ſingulis quibuſque annis claſſes tuas nauigare ſolitas, vti Salomonis auſpicijs factitatum olim fuiſſe proditum eſt, multa tibi cum ſapientiſsimo illo rege communia eſſe comperiebam. Nam illi, ob mitem animi naturam: ad pacem quam ad bellum

propen-

propenſiorem, Deus Opt. Max. vt templum ſibi ædificandum curaret iniunxit, non autem patri, eo quod multa cæde & humano ſanguine ſeſe cruentaſſet. Tu vero rex inclyte, non modo in ſumma pace & placidiſſima tranquillitate, hactenus regna cunctamque tuam ditionem ſtabiliuiſti, verùm religionem etiam Chriſtianam, tua pietate, prudentia, conſilio atque induſtria, quæ ſumma in te ſunt, auxiſti. Legem Euangelicam in remotiſſimis Orientis oris propagaſti, auguſta illic templa dedicari iuſſiſti. Ordines monachorum à priſtinis inſtitutis degenerantes, inſtaurandos & renouandos curaſti. Nobiliſſimum gymnaſium, omni diſciplinarum genere extructum Conimbricæ fundaſti, vt quod Salomon ipſe ſolo penè nomine habuiſſe viſus ſit, tu reipſa cumulatè præſtitiſſe videare, nempè dulciſſimam & ſaluberrimam & ſemper optatiſſimam cunctis nationibus pacem. Quis enim mortalium, vnquàm bellum non exhorruit ac ſummè deteſtatus eſt? Etenim vt torrens è montibus lapſus, hyber-

berniſque auctus imbribus : ſata læta ſuo euertit impetu, atque aquarum violentiâ agros populatur, ita bellum vel iuſtè ſuſceptum: nefarium & horrificum per ſe eſt, omnia diripit, cuncta conuellit : vtpotè quod ipſis etiam victoribus non minus quam victis exitiales ſoleat plerunque exitus afferre, ita vt belluarum immanitati magis quam humanis ingenijs, conuenire videatur, &, vt rectè dixit quidam, ſic ab vnoquoque ſuſcipi oportere, vt à ratione ſtabiliendæ pacis non diſcedat. Quæ ſi abſque bello confici & honeſtè conſeruari poteſt, quis adeo ferus inhumanuſque ſit, vt cum hoſte confligere & ferro humanum ſanguinem fundere, quã pacem malit? niſi qui omnino inimicus generis humani, à natura informatus eſſe videatur? Quod ſi qui ſunt, qui bellica conſilia quietis cogitationibus anteponunt, inani quadam ſpecie gloriæ decepti, ij omne rectum atque honeſtum peruertunt & labefactant, atque à Chriſtiana pietate longè abhorrent. Nec conquiſitis rationibus ad hæc confir-

manda

manda opus eſt, cum ſatis in promptu ſint. In quo genere colendæ pacis, rex humaniſſime tantum excellis, vt, ſi exemplo tuo alij Chriſtiani principes & reges, (pace quod omnium dixerim) ab armis ciuilibus abſtinuiſſent, nihil dubium eſt, quin, iam Chriſto ſummo Deo reſtituta fuiſſent tot regna, ac tot prouinciæ, quot illi Barbaræ nationes iamdudum ademerint: inuitatæ magis fortaſsè bellis Chriſtianorum inteſtinis, quàm rei militaris ſcientia, aut ingenti quadam animi magnitudine. Quæ dum vident nos domeſticis diſſidijs, veluti quibuſdam pertinacibus verborum concertationibus implicatos, maiora quotidie audent, ac eò iam audaciæ prorumpunt, vt, quod reliquum habemus, ingenti fiducia eripere aggrediantur. Quos tu, Rex inuicte, tota animi contentione, omnique armorum vi exturbare, ab Africæ, Æthiopiæ, Arabiæ, Perſiæ atque Indiæ poſſeſſione non deſiſtis. Fortunet Chriſtus tam pios labores, alioſque Chriſtianos reges ad hoc iuſtiſſimum & honeſtiſſimum

bellum erigat & inflammet. Quò Chriſtianum nomen, non modo ereptas prouincias & amiſſa recuperet imperia, verùm dilatet etiam augeat & amplificet, tuo & maiorum tuorum exemplo. Hoc vero opuſculum quodcunque eſt, quod tibi plurimis de cauſis dedicare conſtitui, precor obteſtorque te, eo fauore & benignitate proſequare, quibus iacentes ſoles erigere & humanitate regia fouere, ne in lucem prodire aliquando pertimeſcat. Rex inuictiſſime Chriſtus Opt. Max. Maieſtatem tuam ſaluam & incolumem ſeruet & perpetuam illi donet felicitatem. Vale Eboræ. v. Kalen. Decembris. M. D. L.

D. SE-

D. SEBASTIANO, SVMMÆ SPEI PORTVgalliæ & Algarbiorum Regi inclito, Africo, Æthyopico, Arabico, Perſico atque Indico, GASPAR VARRERIVS S. P. D.

DIcaueram auguſtiſſimo Regi Ioanni III. auo tuo, Rex inclyte, Commentarium, quem decem ab hinc annos, de Ophyra regione compoſueram. Sed anteaquàm edidiſſem naturæ conceſſerat tantus Rex ac tanti nominis, à Deo Opt. Max. (vt credere par eſt) ad illud concilium & cœtum beatorum è terris euocatus, ob plurima & præclara virtutum ornamenta, quibus illum, dum viueret, decorarat. Quando igitur nutus diuini numinis te in demortui Regis aui tui locum ſuffecit, tam magno cunctorum præſertim tuorum omnium applauſu, vt cum adoleuerit ætas, ſceptra tenens hæreditaria, ad Regnorum adminiſtrationem feliciter incumbas, prædictum Commentarium tibi dicandum ſtatui, eo maximè conſilio, quod illas Indiæ partes, quibus regio ipſa Ophyra *continetur, in partem quoque Regni tibi contigiſſe videantur. Quam regionem propterea exquiſita quadam curioſitate indagare arbitratus ſum, quòd viderem multos varie de hac re ſenſiſſe. Quantum verò in huiuſmodi moleſto & operoſo nego-*

tio, quo me implicaui, conſecutus ſim, alij viderint, certe quod potui preſtiti, quantum per tenuem & literarum, & ingenij facultatem licuit. In qua regione, vt omnes tui & alieni, qui præclaram & excellentem & verè regiam iſtam admirantur indolem ſperamus, reddes Ophyrijs pro auro, (quod rerum aliarum permutationibus, Salomon redimere conſueuerat) inæſtimabiles legis Euangelicæ merces. Suſtines enim cum honorum & bonorum hæreditate, non paruam expectationem induſtriæ & auitæ virtutis imitandæ, & pro egregia innata indole fortaſſe etiam ſuperandæ. Nam cuncti maiores tui reges, tam ex paterno quam materno ſanguine, maximam & ſingularem erga Deum ſemper præſtitere pietatem, & omnem hanc Hiſpaniæ Prouinciam, ab impotentiſſimo Barbarorum dominatu armorum vi, & ſumma militari virtute eripuerunt, adeò vt quem quiſque eorum locum, ſemel pedibus proculcauerat & ferro aperuerat, eundem manu ſtrenua pugnando retinuerit. Nec intra Hiſpaniæ fines virtus tanta ſe ipſam continuit. In Africam traiecerunt, vt fugientes Barbarorum reliquias perſequerentur, & funditùs delerent. Ibi ingentes illorum copias parua manu ſæpius profligarunt. Multa ibi oppida maritima, obſidione & oppugnatione ceperunt. Poſtea in AEthiopiam, in Arabiam, in Perſiam, in Indiam denique arma conuerterunt. Quæ verò in

ijs

ijs Prouincijs ſtrenuè geſſerunt, hæc tu, Rex inclyte, & à tuis ſcire poteris, & apud Aſiaticam hiſtoriam, ab auunculo meo doctiſsimè & elegantiſsimè ſcriptam, literis mandata facilè cognoſces. Alij ad longinquas Occidui orbis plagas, nunquam antea cognitas ſe contulerunt, multas illic Barbarorum prouincias occuparunt, atque deleto impio idolorum cultu, Chriſti Euangelium latè propagarunt; vt nullus fere in toto terrarum orbe tam longè poſitus, nec tam abditus & ab hominum conſortio ſemotus ſit locus, quem non maiorum tuorum arma vel occupauerint vel terruerint. Nec ad eorum tot ac tantas virtutes imitandas, vel etiam ſuperandas, ea tibi deſunt, quæ nõn parum optimo Principi formando conducere, ſemper viri ſapientes arbitrati ſunt. Nam vt præteream, magnam ſpem multis & non obſcuris ſignificationibus concitatam, & multarum, non adumbratam ſed expreſſam virtutum effigiem, habes; apud Catharinam auiam tuam, illuſtriſsimam Reginam & ſeminam lectiſsimam educaris, cuius domus quoddam magis virtutum domicilium quàm aula; optimarum diſciplinarum ſchola potius quàm regia, iure nuncupari poteſt. Habes quoque intra ipſius aulæ tecta, Clariſsimum Principem Henricum, Cardinalem ampliſsimum, ac Portugalliæ Infantem auunculum tuum, à Deo Optimo Maximo tibi velut dono datum. Quem ſapientiſsima Regina in tuorum regnorum curam

 &

& adminiſtrationem ſibi ſocium aſciuit; &, qui te priſcorum morum atque vitæ ſanctiſsimæ exemplo, multarumque & optimarum rerum doctrina imbuere & informare valet. Cuius dicto ſi te ſemper audientem præſtiteris, ſine vlla dubitatione tibi polliceri & confirmare poſſum, Rex inclyte, non fore cur omnes tui in te quicquam deſiderent, ſed futurum potius, vt alij reges & te admirentur, & tuam æmulari virtutem maximè laborent. Habes prӕterea illuſtriſsimas Principes duas, Mariam, & Iſabellam, ſanguine tibi coniunctiſsmas, quarum vtraque rarum quoddam eſt omnis & virtutis & probitatis documentum, quæ maximum afferre momentum, ingenteſque conciliare vtilitates ad tuam educationem etiam poſſunt. Habes inſuper viros Principes, qui te cognatione attingunt, cæteramque nobilitatem, atque omnes aliorum ordinum Luſitanos, quorum egregia fides erga ſuos Reges perſpecta maximè ſemper fuit. Qui vitam ſuam, cùm res ita tulerit, pro tua & tuorum regnorum incolumitate profundere nunquam dubitabunt. Habes quoque literarum Magiſtrum, quem ſereniſsima Regina & excellentiſſimus Princeps Henricus, ex nouo & ampliſsimo ſanctæ Societatis ordine, ad hoc munus delectum tibi dederunt, virum ſanè & nobilitate generis, & literarum ſcientia, & morum claritate conſpicuum, à quo nihil niſi quod bonum decorumque ſit & Regia Maieſtate digniſ-

digniſsimum diſces. Quare, bone Deus, ad ſummam virtutem, vel excitandam vel conſtituendam facultates, quanta ad res optimè gerendas præſidia tibi adſunt rex inclyte? Quarè macte virtute, omni contentione enitere, vt omnes tui talem te habeant qualem habere deſiderant. Et paruum hoc noſtrum munuſculum tuo nomini dedicatum, pro tua humanitate ſingulari, benignè, precor, ſuſcipias. Chriſtus Deus omnipotens Maieſtatem tuam ſaluam & incolumem ſeruet, & felicitatem nunquam interituram tibi largiatur. Vale, Eboræ ſexto Kalend. Maij. Anno M. D. LX.

ARGV-

ARGVMENTA COMMENTARII DE OPHYRA REGIONE GASPARIS VARRERII.

TRes de OPHYRA regione opiniones.

I. Rabani Mauri & Nicolai Lyrani, apud INDOS eſſe.

II. Franciſci Vatabli, HISPANIOLAM eſſe Oceani Occidentalis inſulam.

III. Raphaelis Volaterrani, eſſe SOFALAM Æthiopici Oceani inſulam.

Primam ſibi tuendam auctor ſuſcepit, & refellitur ſecunda Hiſpaniolam à Chriſt. Columbo repertam eſſe: & an ea ſit quam Carthaginenſes repperiſſe ait Ariſtoteles.

Ptolemæi error Luſitanorum nauigationibus ereptus.

Nauigatio:
- Pœnorum duorum.
- Eudoxi cuiuſdã & Eudoxi Cyziceni.
- Hiſpanicarum nauium.
- Hannonis Carthaginienſis.

Reijcitur tertia opinio de Sofala inſula.

I. Opinio de Indis comprobata.

Malaca oppidum Indiæ.

Ioſephi Iudæi laus, qui G. Plinij æqualis fuit.

De Cherroneſo aurea vbi nunc Malaca ditionis Luſitanorum.

Ormouza celebre Perſiæ emporium.

Ganges fluuius hodie BENGATTI.

Aurum vbi reperiatur.

Taprobane vbi ſita, & ſitus Ophyræ.

Rabani Mauri & Lyrani de Ophyræ ſolo, & animanti-

mantibus ſententia;
Tigrium copia atque audacia.
Ioannes Barrius Indiarum Hiſtoricus Luſitanus.
Leſtores aureę Cherroneſi finitimi Ptolemæi.
De Chryſa & Argyra, Mela & Plinius.
Luſitanorum audax in Indiam nauigatio.
Nauigandi origo rudis, cum rates primum adhibitæ.
Nautica pyxis priſcis ignota, nuper reperta.
Magnetis lapidis mira vis..
Argonautarum & Vlyſsis in nauigando errores.
Luſitanórum nauigandi induſtria laudata.
Chriſtophori Columbi laus.
Cauſæ cur olim nauigatum ſit rarius, & diuturniore temporis ſpatio.
Claſsis Salomonis cur triennio tantum nauigarit.
Tertia opinto Valaterrani de SOFALA inſula reijcitur.
Tharſis 3. Regum 9. an ſit Africa.
Diuo Hieronymo vbi ſit Tharſis.
Africa Hebræis PHVT hodie FEZ.
Hebræos prouincijs nomina à primis cultoribus dediſſe ex Ioſepho oſtenſum.
ALCAYRVM male à quibuſdam MEMPHIM nominari.
Tharſin non rectè Africam appellare Rabinos.
Iudæorum inſcitiæ quam nihil hodie tribuendum ſit.
B.Hieronymi laus, & cur Carthaginem eſſe dixerit Tharſin.
OPHYRA Carthago eſſe non poteſt.
OPHYRAM non eſſe Sofalam inſulam vidit Georg. Agricola.

India

India cur in ſacris litteris OPHYRA dicta
Philonis & Ioſephi eruditorum Iudæorum laus.
Iudæorum hodie mira ignauia, inſcitia, ac pertinaciæ
Petrus Gallatinus de Hebraicis bene meritus.
OPHYRA vnde dicta Ioſepho, & INDIAM eſſe.
Phiſon fluuius Hebræis, qui Ganges eſt Indiæ.
De OPHYRA & Heuilath, ſententia B. Hieronymi & Oleaſtri, & Rabani Mauri, error vero Auguſtini Steuchi Eugubini.
Rabini Hebræorum caute legendi.
Diui Hieronymi ſumma linguæ Sanctæ peritia.
Thomæ Caietani opinio reiecta.

COMMENTARIVS DE OPHYRA REGIONE, LIB. III. REG. CAP. IX. ET X. ET II. *Paralip.* IX. *commemorata; Vnde Salomoni Iudæorum Regi inclyto, ingens auri, argenti, gemmarum, eboris, aliarumque rerum copia apportabatur.* GASPARE VARRERIO *Luſitano auctore*

IN monumentis rerum geſtarum Salomonis, ingentes commemorantur diuitiarum copiæ, quibus adeò Rex ille inclytus abundaſſe fertur: vt, præ nimia auri affluentia, cunctis regię ſupellectilis vaſis, ceteriſq; vſus & ſplendoris domeſtici ornamentis, ex auro factis vteretur: & argentum apud Hieroſolymorum id temporis copioſiſſimã vrbem, nihili propemodum pẽderetur. Tantã auri vim (claſſe ad oram maris Rubri in hunc vſum ædificata) aduectam ex Ophyra regione narrat eadẽ Iudæorum Regum hiſtoria. Verùm in quanam orbis terrarum parte hæc regio ſit poſita, cinctáne mari, an illi continens, ſilentio præterit. Nec quo nomine his temporibus nuncupetur, apud aliquem idoneum auctorem memini me legiſſe. Si qui verò ſunt, qui in eo aliquam operam poſuere, parum aut nihil conſecuti mihi eſſe videntur.

Ac priuſquam ad huius regionis cognitionē accedamus, de qua noſtra futura diſputatio eſt, viſum fuit primùm quorundam referre ſententias, quam quiſque de eadem re tulit. Deinde ea, quæ ab illis ſunt in hoc genere diſputata; &, quæ nullam veritatis formā præ ſe ferre vidētur, refellere. Poſtremò ijs adhærere, quęcunque vera ſynceraq́ue eos protuliſſe fuerint animaduerſa. Ex quo ordine ſerieq́ue tractationis, & rerum ac rationum collatione, dilucidior emergat noſtra, quam ſuper hac ipſa re, ſumus in medium prolaturi, ſententia.

I. Opinio. Rabanus Maurus, ſummo vir iudicio & in ſacris libris interpretandis ſatis exercitatus, regionem hanc apud *Indos* eſſe, nomenq́ue inueniſſe ab *Ophyro* Iectani filio, memoriæ mandauit. Eamq́ue terram auream, propterea quod ei aureum ſit ſolum, nuncupatam. Quam nulla gens mortalium, ſed leonum, aliarumq́ue ferarum id genus multitudo ingens incoleret. Qua propter nullos ad eam auſos ſuccedere; præter nautas, poſitis in ſtatione nauibus, quò facilius pateret perfugium, ab imminente ferarum maleficio, & tractu illo circumcirca antè per exploratores diligentiſſimè perluſtrato. Quam verò humum ab ipſis feris egeſtam offendiſſent, ad naues exportaſſe, ex eáque tandem aurum eruiſſe,

eruiſſe. In hanc ferè ſententiam diſcedit Nic. Lyranus, peritiſſimus & ipſe ſacrarum literarum interpres.

Franciſcus Vatablus Pariſienſis, putat Ophyram regionem eſſe inſulam *Hiſpaniolam*, in Oceano occidentali poſitam, noſtriſque temporibus repertam. Atque ad id confirmandum nonnullas colligit rationes. Primùm quòd plurima auri idque optimi metalla gignat hæc inſula. Deinde quod longiſſimis & maris & terrarum interuallis disiungatur à portu ſinus Atlantici Aſion gabero, è quo claſsis Salomonis nauigabat in Ophyram regionem, vt tanta locorum diſiunctio, cum tam diuturna trium annorum nauigatione, à ſacris literis cõmemorata, conuenire videatur. II. Opinio

Raphael Volaterranus nonnullos arbitratos fuiſſe memorat, inſulam *Sofalam* in Oceano Æthiopico ſitam, (quæ nunc in ditione Portugalliæ Regum eſt) eſſe Ophyram. Idque Ludouicus quidam Venetus, in quadam ſua ab Vliſsipone in Indiam nauigatione, ſcripto ab eo prodita; ſibi affirmaſſe certos homines apud eandem inſulam in præſidio locatos dicit, ſed quibus in ea re parum fidei præſtitiſſet. III. Opinio.

Hæc ferè ſunt, quæ, circa huius regionis inueſtigationem varia & diuerſa ij, quos

 modo

modo nominaui, literis mandarunt. Sunt igitur, vt ea colligamus, tres orbis partes à ſe inuicem diſiunctiſſimæ, *India*, quæ Aſiæ celeberrima prouincia eſt: *AEthiopia*, quæ in Africæ partibus continetur. Et *Hiſpaniola*, quæ (vt diximus) in occidentali poſita eſt Oceano inſula: quæ ſibi vindicare videntur hunc velut aureum principatum, ſicut olim aliquot Græciæ ciuitates, ſuum vnaquæque ciuem Homerum vindicabat.

I. Opinio. Prima opinio, in qua duorum nec contemnendorum virorum cernitur ſumma cõſenſio, partim ad rem & veritatem ipſam proximè accedere; partim dubia & incerta ſanè quidem continere mihi viſa eſt. Dabimus tamen operam, quo pacto perſpiciatur aliquam veritatis rationem, ſeu certè veriſimilitudinem præ ſe ferre.

II. Opinio de Hiſpaniola. Quod vero inſula *Hiſpaniola* non ſit Ophyra regio, adeò in promptu eſt, vt nullis nec argumentis, nec rationibus egeat. Verùm quia communi iudicio popularique intelligentiæ, quæ diſciplinarum rationes minùs attingit, accommodandæ ſunt plerumque rerum argumentationes, id exiſtimauimus faciendum, etiamſi doctioribus minùs gratum futurum eſſe videatur.

Primum omnium, illud maximè in confeſſo eſt, illam terrarum immenſitatem & ſe in max-

in maximam latitudinem effundentem, quę iam ſatis peruulgato vocabulo *Terræ nouæ* nuncupantur, quam, noſtra memoria Hiſpani duce Chriſtophoro Colūbo Ligure, longis periculoſiſque nauigationibus in Oceano Atlantico exhauſtis reperciunt, non modò ætate Salomonis Regis à nullis Aſiæ, Africæ, atque Europæ gentibus: ſed nec infinitis propè poſterioribus ſeculis fuiſſe cognitam.

Nec illi mea quidem ſententia audiendi ſunt, qui hanc inſulam eam ipſam eſſe arbitrantur, quam Ariſtoteles prodidit Carthaginenſes olim inueniſſe vltra Gades, multorum dierum nauigatione, legemque huiuſmodi conſtituiſſe, vt capitale eſſet, ſi quis eam incoleret, quia ſic conſultum fortaſſe videretur publicis illius Reipublicæ rationibus. Quis enim id pro certò affirmet in tanta inſularum multitudine, quibus mare ipſum Atlanticum ad omnes cœli plagas veluti quibuſdam maculis diſtinguitur? Sed eſto, vera ſint quæ de hac inſula opinantur, nonne Salomon Carthaginis originem anteceſſit 150. annis, vt auctores ſunt Ioſephus, & Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus? Accedit huc nec eſſe probabile nec veriſimile, inſulam ab Ariſtotele memoratam, in ipſo ſtatim Carthaginis ortu fuiſſe repertam, ſed potius poſt-

Ariſtotel.

Salomon Carthaginis originem anteceſſit 150. annis.

quam vrbs illa Romani imperij æmula creuit, bonamque Africæ partem imperio ac ditione tenuit. Quibus viribus aucta, potuit fortaſſe ad maris etiam imperium animum adijcere. Nam duorum Pœnorū longinquas nauigationes, ex Strabonis, Pōponij Melæ, Plinij, & aliorum auctorū monumentis, conſtat fuiſſe multis annorum curriculis poſt conditam Carthaginem, nempe in ipſo vrbis incremento, &, vt ipſe Plinius ait, florentiſſimis rebus Punicis. Præterea nauigatio ipſa à mari Indico in Atlanticum, per Auſtralem orbis plagam, non modo Salomonis ætate, nondum nota, ſed nec ſatis explorata fuerat, vſque ad tempora Emmanuelis Portugalliæ regis inclyti. Cuius claſſes velis audacibus magnum illum Oceanum longè latéque diffuſum percurrentes, vtramque Indiam citra & vltra Gangem penetrauerunt: erroremque Claudij Ptolemæi Alexandrini illuſtris Mathematici, aliorumque exiſtimantium Indicum mare, minimè ad Oceanum Atlanticum pertinere, toti orbi ſumma cum laude eripuerunt. Nec illud me mouet, quod Scriptores aliquot (in quorum eſt numero, cuius modo mentionem feci, Plinius) memoriæ prodiderunt, extitiſſe aliquos multis antè ſeculis, qui ab ortu in occaſum,

ſum, per magnum ac propè immenſum illum maris circuitum nauigaſſent, vt de quodam Eudoxo accepimus, qui (fortè capite damnatus) cum iram Ptolemæi Lathyri Ægypti regis, quam incurrerat, declinare properaſſet, è ſinu Arabico ſoluens fortunæ libidini & pelagi arbitrio ſe committens, vſque Gades tandem perueniſſe narratur. Sed nec me mouent ſigna nauium Hiſpanienſium, in mari Rubro ex naufragio reperta, tempore Tiberij Romanorum Principis. Nec nauigatio Hannonis Carthaginenſis à Gadibus ad finem Arabiæ, quam literis prodidiſſe etiam fertur. Nam huiuſmodi nauigationes etiam ſi fieri potuerunt, præterquàm quod caſu aut felicitate quadam potius accidiſſe, mea quidem ſententia videntur, quam conſilio aliquo, aut ſcientia nauigandi tantam incogniti & procelloſi maris vaſtitatem, tamen non tam probatæ vel illis vel poſterioribus ſeculis extitere: nec tantam fidem facere potuerunt, quanta opus erat, ad tam inuſitatam & periculis plenam nauigationem aggrediendam. Suſpectæ namque vt arbitror, vulgò maximè fuerunt. Qua propter Strabo nobilis Geographus, hiſtoriam, quam Heraclidem Ponticum narraſſe dicit, de certis nauigationibus cuiuſdam Eudoxi Cyziceni,
 tem-

tempore Euergetis ſecundi Regis Ægypti, tanquàm ineptam fabulam reijcit, & explodit. In qua ſcripſiſſe aſſerit eundem Eudoxum, à mari Rubro ſupra Æthiopiam delatum, lignum quoddam nauigij, in quo effigies equi inſculpta erat, ex naufragio ſe reperiſſe. Quod cùm in Ægyptum detuliſſet, tandem à quibuſdam naucleris (noſtri maris forſitan nauigationibus aſſuetis) Gaditanorum eſſe nauium comperiſſe. Quo argumento ſatis ſibi perſuaſum eſſe aſſerebat Eudoxus, totius terræ globum vndique Oceano circunfundi. Quæ, (tametſi vera extitiſſe crediderim) neutiquam refelleret nobilis Geographus, ſi in ea, qua fuit ætate, nauigaretur tota illa pars Auſtralis Oceani, quemadmodum à noſtris hominibus nauigatur hodie, idque tanta facilitate, quanta mare noſtrum à cunctis ferè nationibus Africæ & Europæ nauigatur. Quando igitur illis temporibus, non modo non ita abſoluta, vt oportebat, & plena quadam cognitione hæc nauigatio pernoſcebatur: nec vllis Geographicis Tabulis illuſtrata circunferebatur, quò littora & promontoria, portus, vrbes, fluminumque oſtia, atque horum omnium ſitus, ex certa cœli & ſiderum obſeruatione internoſci quocunque tempore adirique poſſent, ſed etiam à Claudio Ptolemæo diſcipl-

plina-

plinarum Mathematicarum peritiſſimo omninò ſublata fuerat, qui fieri poterat, vt ætate Salomonis notum eſſet, quod nulla tot ſeculorum poſteritas, præterquam memoria noſtra, vſu & experientia conſecuta eſt?

Sed eſto, *Hiſpaniola* inſula Ophyra ſit regio. Quorſum attinebat per tot vaſtiſsima vagari maria, & vniuerſum penè orbem laborioſiſsima nauigatione, infinitis penè & caſibus & erroribus obnoxia, peragrare; ſi per fretum Herculeum è noſtro mari in Atlanticum exeuntibus, compendiaria nauigatione & breuiore temporis interuallo, illuc licebat peruenire? Iam illud prætereundum cenſeo, quòd hæc inſula, præter aurum, nihil earum rerum gignat, quæ ex Ophyra Salomoni apportabantur, videlicet gemmas pretioſiſsimas, ebur, pauones, ſimias, & ligna optima, ex quibus citharæ, aliaque Muſicorum organa fabricabantur. Suſpicor Vatablum iſtuc ipſum hauſiſſe ex libris Petri Martyris Anglarienſis. Is enim narrat Chriſtophorum Columbũ, cum primùm hanc inſulam reperiſſet, atquè Indiæ partem aut certè illi finitimam, ob plurimam auri vbertatem illic animaduerſam, eſſe exiſtimaſſet, perſuaſum habuiſſe Ophyram eſſe.

III. Opinio de Ophyra inſula.

Quòd verò nec *Sofala* inſula, ſit Ophyra regio, quam, ſupra diximus Volaterranum

 ab ali-

ab aliquibus *Ophyram* fuiſſe exiſtimatam, commemoraſſe, & quam Ludouicus Venetus, cum illuc appelleret, idem ſibi Luſitanos quoſdam affirmaſſe ſignificat; ex toto noſtræ diſputationis contextu, facilè apparebit, quàm rectè iudicauerit Venetus, illos id falsò opinari.

I. Opinio confirmata. His igitur iactis velut fundamentis, reliquum eſt, vt in medio ponamus rationes, quibus noſtra de hac ipſa re tota nititur ſententia. Flauius Ioſephus omni genere doctrinæ inſtructiſſimus, in hiſtoria ſacrorum librorum, quam more pænè Paraphraſtico interpretatus eſt, hanc regionem ſcribit apud

Indi. *Indos* eſſe, atque vulgò ætate ſua *Terram Auream* nuncupatam fuiſſe. Cuius verba ſubijcienda duximus ad pleniorem huius ſuſceptæ tractationis intelligentiam. Ait enim. *Habuit autem* (Salomonem intelligit) *ad ædificandas naues beneficio regis Hiræ. Ipſe namq; ei multos viros gubernatores & in marinis rebus edoctos miſit; quos iuſsit nauigare cum diſpenſatoribus ſuis ad locum, qui olim Ophyra, nunc* Terra Aurea *nuncupatur* (eſt enim in India) *vt aurum deferrent, & colligentes quadringenta talenta, ad regem denuò ſunt reuerſi.* Ex quibus ſatis apparet non ſolum antiquam & peruulgatam, ſed clarorum etiam virorum hãc fuiſſe ſententiam. Fuit namque Ioſephus Græcarum

lib. 8. Antiquit. Iudaic. ca. 2. (alijs 6) & libr. 1. aduerſus Apionem.

Ioſephus.

carum literarum longè periti ſsimus, & in euoluendis Græcis auctoribus exercitatiſsimus, vt eius libri teſtantur, quos contrà Apionem Grammaticum Alexandrinum ſcripſit, multiplici rerum doctrina & cognitione refertos. Quo in genere tantum excelluit, vt ob ingenij elegantiam, ſtatua ei Romæ publicè poſita fuerit, & de quo ſatis præclarum Elogium exſtat apud diuum Hieronymum in libro *De claris ſcriptoribus*. Cuiuſque ſeptem libri *de captiuitate Iudaica* publicę bibliothecæ ſunt traditi, vt eodem libro idem vir ſanctiſſimus teſtatur. Floruit principatu Veſpaſiani Imperatoris, eique cum primis charus fuit. Quo tempore C. Plinius, totum curſum, quem Romani terra, marique ſingulis quibuſque annis, in Indiam tenebant, ſumma cum diligentia ſcripſit. Quo loco etiam commemorat ampliſſimas pecunias, quas quotannis India ex ærario Populi Romani, in redimendis aromatibus alijſque id genus mercibus exhauriebat. Quemadmodum apud nos forſitan peſsimo publico fieri videmus, & non ſine iuſta querela maximoque diſpendio publicarum Luſitaniæ rationum. Quo circà cum idem Ioſephus, tam varia multarum rerum cognitione, & doctrina polleret, atque omnis antiquitatis præſertim Iudaicæ, acutiſsimus eſſet indagator, multa-

que vetuſtate iam penè obruta è tenebris eruiſſet, omniſque regio Indiæ illis temporibus, quibus ipſe vixit, Romanorum nauigationibus explorata, ab aliarumque nationum mercatoribus ſatis perluſtrata foret, haud equidem conſentaneum videtur, Ophyræ regionis notitiam, ità ex hominum memoria excidiſſe, vt, incuria ſeu obliuione penitus exoleſceret. Quarè Ioſephus ità ipſam apertè rem locutus eſt, vt nihil ſignificantius dici poſſet, quàm regionem hanc apud Indos eſſe, & *Terram Auream* nuncupari, adeò vt digito penè commonſtraſſe videatur. Nam Claudius Ptolemæus eam ipſiſſimam, (vt Plautino more loquar;) in India ſitam ſcribit, libro ſeptimo vndecimę Tabulæ Aſię, his verbis. *Super Argenteam autem regionem, in qua multa dicuntur eſſe metalla non ſignata, ſuperiacet autem Aurea regio Beſyngitis appropinquans, quæ & ipſa metalla auri quam plurima habet*. Hæc Ptolemæus. Quoniam verò vltra peninſula eſt: ad quam mercatores ex Aurea regione exque inſula Somatra, tanquàm ad nobiliſſimum totius Orientis emporium, maximam (vt hodie fit) auri copiam conferrent, euenit, vt *Aurea Cherſoneſus* appellaretur, cuius omnes meminere Geographi, omniumque maximè Ptolemęus. Quæ ſine controuerſia eadem ipſa eſt, vbi

Aurea Cherſoneſus.

eſt, vbi oppidum nunc *Malaca* poſitum, ſub imperio ac ditione Portugalliæ regum eſt, permanetque & durat ad hoc tempus, apud idem oppidum celebris cunctarum rerum mercatus, quò omnes negotiatores Orientalium partium, emendi & vendendi gratia confluunt. Cui oppido, propterea quòd in extremitate cuiuſdam promontorij, quod Ptolemæus *Maleicolum* appellat. ſitum eſt, nomen *Malâca* inditum exiſtimo. Eamque terræ lingulam in altum excurrentem, mare, vi reciprocantis æſtus, à continente, cui tamen ponte coniungitur, abſtulit. Quo effectum eſt, vt *Malaca* in inſula remanſerit. Quemadmodum inſula *Ormuzia*, (quæ ab incolis alio nomine Gerum appellatur) vbi totius Perſiæ celebre emporium eſt, nomen traxiſſe videtur ab Armuzio promontorio in ſinus Perſici fauces proiecto, & à regione Armuzia à Plinio in eadem Carmaniæ parte, vbi hodie Ormuzium regnum eſt, commemorata. Hæc iccircò meminiſſe libuit, vt gratiam inirem à curioſis in exquirendis Antiquitatis veſtigijs. Verùm, vt ad propoſitum reuertamur, ſi quis Ptolemæi Tabulas, cum noſtris Geographicis Tabulis, à peritiſsimis nauticæ artis hominibus confectis, diligenter contulerit, iam profectò reperiet inter ſinum Gangeticum (nunc *Bengallicum* appel-

Malaca

Ormuzia

Ganges.

appellatum) & auream Cherſoneſum, Auream & Argenteam regionem eſſe poſitam. Quo terrarum ſitu Peguſium regnum eſſe nemini dubium eſt. Atqui huic noſtræ opinioni confirmandæ, ſatis fidem debet conſtituere, quod citra & vltra Gangem nulla pars Indiæ ſit, quæ aurum gignat præter *Peguſium & Somatram* inſulam, quam multi falsò opinati ſunt eſſe *Taprobanam*. Vt enim à nobis in quibuſdam noſtris Geographicis obſeruationibus ſatis diſputatum eſt, conſtat eam eſſe inſulam *Taprobanam*, quæ his temporibus eodem ipſo penè nomine Seilam appellatur, quo iam olim, auctore Ptolemæo, fuerit nuncupata. Quapropter omnem illam oram, quæ Peguſijs, Malaca, & Somatra continetur, apud diuinam hiſtoriam, *Ophyram* regionem eſſe appellatam facilè contenderim, ob locorum vicinitatem, quam inter ſè habent, vt nullus terrarum interiectus reperiatur. Nam ora ea maritima à ſinu Gangetico in Peguſium, hinc autem in Malâcam excurrit. Ab hac verò vrbe ad Somatram, exiguus maris traiectus interpoſitus eſt. Cuius incolæ, illi præſertim qui *Benancabi & Barri* nuncupantur, ingentem auri vim ad Malâcæ mercatus ſemper importare conſueuerunt. Præterea, illud maximo ad hanc rem argumento eſſe arbitror,

Taprobana vbi.

Ophyra regio, vbi.

quòd

quòd ingens cæterarum rerum copia apud Peguſium ſit, quæ prȩter aurũ & argentum ex Ophyra regione Salomoni afferebantur. Nam gẽmas cuiuſcunque generis pretioſiſſimas Indorum nulli prȩterquã Peguſij vendunt. Simias & Pauones quam plurimos habent, Eboris ingentem numerum. Siluis lignorum pretioſorum, ex quibus apud nos citharæ aliaque id genus Muſices inſtrumenta conficiuntur, longè plurimis abundant.

Sed priuſquam ad reliqua totius diſputationis veniamus, diſcutienda videntur ea, quæ Rabanus Maurus & Nicolaus Lyranus protulere, de Ophyra regione aureum ſolum habente, deque leonibus alijſque maleficis animantibus, quæ Salomonis ætate eoſdem terrȩ tractus adeò infeſtabant, vt ſinè maximo periculo è nauibus egredi non liceret. Hȩc quanquam ſimilia fictis fabulis, & finitima videntur ijs, quȩ Herodotus & Ariſtȩas Proconneſius (vt à Plinio traditur) ſcriptum reliquere, de gryphibus aurum cuſtodientibus, & Arimaſpis rapientibus; aut ijs, quæ Pomponius Mela tradit, de formicis magnitudine maximos canes ȩquantibus, quȩ prȩdictorum gryphium more, aurum etiam egeſtum in multorũ exitium cuſtodiant: tamen maximè exploratũ eſt, vaſta Peguſiorum & deſerta loca, tum tigrium, tũ elephã-

Refellitur 1. opinio.

torum

torum eſſe longè refertiſſima. Atque tantam earundem ferarũ eſſe copiam, apud *Auream Cherſoneſum*, (quæ regio Peguſijs finitima 1360. paſſ. patet longitudine) vt nulla ibi oppida, nullæ habitentur vrbes, præter Malácam & perpaucos barbarorum vicos, ob truculentarum tigrium (quas *Reimones* appellant) immanitatem & maleficia, adeò vt noctu nullum ſit miſeris accolis perfugium, præterquàm ſuccenſi ignes, quos maximè formidat hoc animal, & arborũ ſummitates. Si enim non altius quam ad altitudinem 20. pedum aſcendunt, à tigribus perniciſſimo ſaltu corripiuntur. Ac vulgò memoratur apud noſtros, quandam tigrim, magnum aliquando facinus intra vrbem Malácam edidiſſe, iam tum cum illic rerum potiremur. Ad tantam ſi quidẽ prorupit audaciam, ſæuiente prædæ auiditate, vt nocte concubia in vrbem irrumpens, hortumque quendam inuadens: tres ſeruos ad trabem ob flagitia vinctos arriperet, eiſque cũ trabe ſimul dorſo impoſitis, maceriam etſi præaltam ſaltu tamen euaſiſſe. Idque, & accepimus & à multis viris auctoritate grauiſſimis, & legimus in hiſtoria Aſiatica doctiſſimi, atque clariſſimi viri Ioannis Barrij auunculi noſtri. Quod verò iam olim, tigres & elephantos habuerit Aurea Cherſoneſus & finitima tota illi regio,

Ioan. Barrius hiſtoric. Indiar.

auctor

auctor eſt Ptolemæus Qui poſtquam Chalcitim regionẽ, atque aliquot vicinas gentes deſcripſit: tandem ad Doanos veniens, poſt-que ipſos ad montana quædam, tigres & elephantes habentia deſcendit: iuncta Leſtorũ regioni. Qui *Leſtores* finitimi ſunt Aureæ Cherſoneſo: ſed eiuſdem verba hæc ferè ſunt. *Poſtea Daonæ ad flumen eiuſdem nominis, & poſt ipſos montana ſunt, iuncta Leſtorum ſiue Prædonum regioni, tigres habentia & elephantes.* Potuit enim fieri vt Salomonis ętate, in qua nondum terrarum orbis vniuerſus tanto hominũ cœtu & frequentia; quanta poſterioribus ſeculis habitaretur, Peguſiorum regio adhuc inculta ac deſerta eſſet. Poſtea verò quàm finitimæ gentes animaduertiſſent multos mortales ad eam, auri adipiſcendi gratia cõmeare, huius auiditate quoque allectæ, in animum induxiſſent ipſam Auream regionem incolere, vt auro potitæ rerũ multarũ, quibus carerent, permutationibus augerentur. Qua de cauſa hominum creſcente multitudine, feræ paulatim loco cedentes, ad ſolitudinem confugerent. Quę in *Aurea Cherſoneſo* fieri non potuiſſent, propterea quòd nulli mortalium, ob ſoli ſterilitatẽ vtilitate aliqua ad eam habitandum allicerentur: exceptis locis aliquot maritimis ad mercaturas faciendas accõmodatis, quorum eſt Malaca

Malâca illius regionis metropolis. Quod verò regio *Ophyra* ſolum aureum habuerit, vt aſſerunt prædicti Rabanus Maurus, & Nicol. Lyranus, nemini mirum videri debet, illos iſtuc ipſum crediidiſſe, quippe cum peruulgatum id multis ante ſęculis apud omnes eſſet, vt Pomponius Mela & Plinius teſtantur. Ait enim iſte: *Extra oſtium Indi Chryſæ & Argyræ fertilis metallis, vt credo. Nam, quod aliqui tradidere, aureum argenteumque ijs ſolum eſſe, haud facilè crediderim.* Mela autem: *Ad Tamum* (eſt enim Indiæ promontorium) *inſula eſt Chryſe, ad Gangem Argyre, altera aurei ſoli* (ita veteres tradidere) *altera argentei. Atque ita, vt maximè videtur, aut ex re nomen, aut ex vocabulo ficta fabula eſt.* Hæc Plinius & Pomponius. D. etiam Hieron. in epiſtola ad Ruſticum monachum nonnulla commemorat, quæ ijs conuenire videntur. Quæ ideò commemorare viſum eſt, ne vituperatores aliquot libidine obtrectandi hanc anſam arriperent, ad Maurum & Lyranum reprehendendos. Id enim illos, hinc liquido conſtat ab antiquis auctoribus accepiſſe. Nec modò opinio ea, conſtanti fama multorumque ſcriptorum literis, antiquis illis temporibus celebrata eſt, verùm etiam ad noſtram vſque ætatẽ & apud Indos emanauit, adeò vt multi Luſitanorũ, auri cupiditate inducti, magnos adierint

Plinius li. 6. cap. 21. Pompon. Mela libr. 3. cap. 8.

adierint labores, non ſine maximo vitæ diſcrimine & rei familiaris iactura, in perquirenda & inueſtiganda hac Aurea regione. Increbuerat enim fama, certos homines, caſu in eam regionem naue quondam appulſos, ibique dum fortè idoneam ad nauigandum tempeſtatem nanciſcerentur, aliquot dies commoratos, cum ea, quibus ad inſtruendam nauim opus erat, pararent, & alia non ſuppeteret ad ſaburram materia, præterquàm humus, magno eius pondere in carinam iniecto, nauim firmaſſe. Atque illinc ſoluentes vrbem Goam tandem perueniſſe. Cum verò ea nauis poſteris temporibus vetuſtate corrupta, in naualibus diſſolueretur, & aurei grumuli in ſaburra lucentes, homines ad ſe allexiſſent, inuentum aurum fuiſſe: atque hinc coniecturam cepiſſe, humum illam ex Aurea regione caſu non ſcienter exportatam. Porrò de ijs, quæ de aureo ſolo huius regionis, deque malefico genere animalium eandem infeſtante produntur, nihil definire certum mihi eſt, eò quòd ſint ad iudicandum difficillima. Verum ſeu ex egeſto à feris ſolo, aurum eruerint, ſeu ex rerum permutationibus (quod vero ſimilius magiſque conſentaneum eſt, & diuus Hieronymus, vt inferius apparebit, innuere videtur) vel quauis alia ratione comparauerint,

Luſitan. nauigatio in Indiam

hæc quomodo ſeſe habuerint, affirmare nihil dubitauerim facta atque tranſacta fuiſſe, in ea ora maritima, quę Peguſijs, aurea Cherſoneſo, & inſula Somatra, (vt iam concluſimus) circunſcribitur.

Sed ijs cognitis, ad aliam partem diſputationis, quæ non paruam dubitationem habere videtur, oportet accedamus. Narrat ſiquidem eadem rerum Iudaicarum hiſtoria, *claſſem Salomonis* (vt eiuſdem verbis vtamur) *cum claſſe Regis Hiræ, ſemel per tres annos, ire in Tharſis.* Quæ verba in hunc ſenſum explicat Ioſephus, vt huiuſmodi nauigationem ante triennium, haud quaquam fuiſſe confectam & abſolutam exiſtimet. Nos verò, tametſi hunc locum aliter ac cenſet Ioſephus intelligi poſſe (vt poſteà diſputabimus) arbitramur, tamen pro virili parte, quantum fieri poſſit, ne aliquis reſideat ſcrupulus, non nullas colligemus rationes, quibus eum rectè ſenſiſſe intelligatur. Porrò, vt cauſas dubitationis explicemus, cum hac tempeſtate vſu & experientia compertum ſit, illos, qui à mari Rubro ſecundo curſu *Auream Cherſoneſum* nauigare, atque indè commodè renauigare ſolent, totam nauigationem decimo menſe, aut ſummùm anno conficere, apparet omninò incredibilis & abſurda illa nauigatio, quæ cum vnum atque idem maris ſpatium

3. Reg. 10.

Ioſephus Iudæus.

l.5.T. pag. 225. in fine, et inde.

tium

tium percurreret, id præterquàm triennio non abſolueret. Quæ cauſa impulit Franciſcum Vatablum, vt crederet tam longi temporis interuallum, cum longiſſima huiuſmodi conuenire nauigatione, qualis eſſet à ſinu Atlantico maris Rubri ad *Hiſpaniolam* inſulam. Ex quibus facilè intellectu eſt, aut Ophyram regionem non eſſe ad oram maritimam Peguſiorum & Aureæ Cherſoneſi atque Somatræ, aut, tam diuturnam nauigationem, quæ perpetuum triennium complecteretur, eſſe prorſus vanam & commentitijs fabulis quàm vero ſimiliorem. Sed ſi rectè diuerſæ temporum rationes expendantur, iam profectò non inepta nec abſurda hæc Ioſephi interpretatio iudicabitur. Etenim ſi huius facultatis, quæ vocatur nauigatio, ſiuè artis ſiuè ſcientiæ volumus conſiderare originem, facilè reperiemus, eam, ſicùt aliarum artium & diſciplinarum principia, ab exiguis initijs eſſe ortam atque deductam. Nam cum principio animaduertiſſent homines, magnas atque ingentes vtilitates in fluminum & maris nauigationibus eſſe conſtitutas, cœperunt inire rationem, qua eis ad vitæ vſus neceſſarios vti commodè & vtiliter poſſent. Itaque primum rudis illa ætas, trabes inuicem connectere atque coniungere cœpit, quas *rates* appellauit. Quibus primò in fluminum

Nauigationis origo. vide Horatij Odā III. *Illi robur & æs triplex, &c.*

tranſuectionibus vtebantur, deindè per ipſa flumina vecti ad finitimos importabant ea, quorum maximè indigere intelligebant, ex quorumque permutationibus alia ſimiliter compararent, quibus etiam ad vitam tuendam & propagandam carere non poterant. Poſtmodum ſcaphas & lembos aliaque id genus minuta nauigia, per ſolertiam excogitarunt, velis & remis, multiſque rebus ad vſus nauticos pertinentibus, paulatim inuentis, non modo inſtruxerunt, ſed etiam alijs ad decorem & ornatum appoſitis illuſtrarunt. At creſcente iam cum longa experientia, & frequenti huius rei vſu audacia, in altum ſe maioribus nauigijs contulerunt. Primum propter oram maritimam nauigantes, propinquitate continentis animos faciente, deinde ad interiora maris eos ducente peritia, cœpere procelloſis fluctibus ſe opponere, & iam audacter ventis vela dare, atque confidenter tandem & ſtrenuè longa maris ſpatia tranſmittere. Vnde colligitur, huius artis nauticæ ſcientiam, paulatim & per quoſdam velut ætatis gradus creuiſſe, adeò vt, auctore Plinio, remum Copæ & eius latitudinem Plateæ, vela Icarus, Tyrrheni anchoram, malum & antennā Dædalus, roſtra Piſeus, Salaminij hippagum, & alia alij diuerſis temporibus inuenerint,

Plin. libr. 7. cap. 56.

Instrumentorum artis nauticæ inventores.

rint, & plurima adiumenta huic arti ſubminiſtrauerint. Nec in tot ſæculorum ætatibus, ad perfectam illam & omnibus ſuis numeris expletam nauigationis rationem peruenerunt, vſque ad illud tempus, in quo multa quoque Mathematices diſciplinæ, ad rei nauticæ facultatem maximè pertinentia, fuerunt excogitata inſtrumenta. Quorum illud extitit, valde poſt homines natos admirandum, quod vulgò *Acum nauticam* appellant: Quæ Septentriones nimia & mira quadam inſita auiditate, ex vi contactus magnetis lapidis contracta, appetit: & cuſpide veluti digito perpetuò oſtendit. Cuius vim, natiuamque lapidis in Arctos ſemper reſpectantis, antiquis ignotam fuiſſe manifeſtum eſt. Hinc illa ſumma admiratio, quam Argonauis Argonautarumque à Theſſalia in Colchos per quam breuis nauigatio illis temporibus excitauit. Hinc Vlyſſis neſcio quos errores, priuſquam in Siciliam inſulam ab Ilio perueniſſet, intra tam exigua maris ſpatia exhauſtos, admirata eſt maximè Antiquitas; quos illuſtris ille Græcus poëta propterea egregijs decorauit numeris. Quaſi igitur (vt diximus) hæc ars non ſubito, ſed per longa temporum interualla nacta fuerit incrementa, repertæ ſunt compendiariæ nauigationes, vſu & conſuetudine

Nautica pyxis.

Magnetis vis.

Argonauis.

Vlyſsis error & Æneæ apud Virgil. 3. Æneid,

nauigandi. Nam, vt Plinius refert, cum ab Siagro Arabiæ promontorio (quod hodie *Fartacum* appellatur) Patalam Indiæ vrbem petere conſuetum eſſet, poſterior ætas breuiorem tutioremque eſſe nauigationem, ab eodem promontorio ad amnem Zizerum, Indiæque portum credidit, diuque ita nauigatum eſſe dicit, donec auidi & lucro inhiantes mercatores, aliã magis compendiariã nauigationem inuenerunt, qua ſingulis quibuſque annis Romani in Indiam nauigabant. Quo in loco (vt ſupra memorauimus) diligenter ſcribit, quem curſum Romani terra marique, dum Indiam peterent, ad ſpecies aliaque id genus aromata comparanda tenebant: & quo anni tempore hinc atque illinc proficiſcebantur, quantoque ſpatio (quod annuum eſſe ſignificat) totum illud iter, vſque dum reuerterentur conficiebant. Ita igitur vſque ad Plinij tempora certos quoſdam progreſſus feciſſe videtur nauigatio. Verum tamen multò ampliores vſque ad noſtram ætatem. In quo genere iure laudantur Luſitani, qui magnum fundamentum perpetuæ ſuæ commendationis & famæ ieciſſe, atque memoriam nominis ſempiternam conſecuti eſſe videntur, apud quos magis quam in cæteris nationibus hæc ars exculta eſt. Cum primi mare Atlanticum nauigantes, cunctam

Luſitan. laus.

Mauri-

Mauritaniæ & Æthiopiæ orã, vſque ad magnum & vaſtum illud *Bonam Spem* promontorium; maris interiora magno impetu irrumpens, atque ab antiquis Geographis ignoratum, ſumma cum animi fortitudine & ſolertia, & magnis tandem exantlatis laboribus explorarunt, temporibus Infantis Henrici & Ioannis Portugalliæ regis ſecundi, & plurimis annis antequã Chriſtophorus Columbus Ligur occidentalem Oceanũ nauigaſſet, viamque munitam poſteris reliquêre, qua perfectum eſt, vt poſtmodùm in Indiam ab Vliſſipone, ſumma, vt hodie fit, facilitate nauigaretur. Vt igitur hanc partem diſputationis concludam, in illa ætate, in qua necdum tam ſtrenuè tantaque artis peritia maria percurrebant homines, interdiu nauigare, noctù verò in anchoris diem expectare conſueſcebant. Vt nunc quoque fieri videmus in ſinu Arabico, propterea quòd illic & vadoſum & maximè ſcopuloſum ſit mare. Tũ etiã quoad fieri poterat, propter orã maritimã, atq; ſecundis dũtaxat flatibus nauigabãt, eò quòd nondum alijs ventis vela dare, ad vſumque & vtilitatem nauigandi trahere nouerant, vt poſteris temporibus inuentum eſt. Alia tam tardæ ac lentæ nauigationis cauſa erat, quòd ob maris & locorũ maritimorum inſolentiam, naucleros pro diuerſitate regionum

Chriſtop. Colũbus Ligur.

num mutabant, alioſque mutuabantur vicinarum nauigatiónum ſcientiſſimos : vti à noſtris hominibus factitatum fuiſſe ſatis cõpertum eſt, cum primùm in Indiam nauigarunt; propterea quòd certiorem & tutiorem curſum ignorarent. Sed alia quoque huiuſce rei erat cauſa, quòd cum id temporis nauigia, propter modicam magnitudinem, tantum cibariorum numerum capere nequiuiſſent, opus erat aquandi & commeatus gratia, ſæpius apud maritima loca ad id maximè opportuna, moras producere. Ad hæc mare Indicum (vt ſatis notum eſt) hyeme, quæ apud Indos à Kal. Aprilis circiter Kalen. Octobris protenditur, adeò procelloſis & immodicis tempeſtatibus agitatur, vt infeſtum & inuiũ hoc tempore efficiatur. Præterea ſunt in illo cœlo ſtati ventorum flatus, (quemadmodũ apud nos *Eteſiæ* certo æſtatis tempore,) quos *Monſoas* vocant, quibus exceptis, idoneæ ad nauigãdum tempeſtates nullæ ſunt. Quare oportet hos tempeſtiuos ventos expectare. Nam qui à ſinu Arabico ſeu Perſico vel ab vrbe Goa in Aureã Cherſoneſum nauigant, nec ſtatim illinc renauigare valent, ſed tantiſper ibi manere opus eſt, dum huiuſmodi venti flare incœperint. Quapropter tres aut quatuor, & amplius menſes, apud Malâcam commorantur. Itaque cum illa ætate

non

non admodum vigeret, vt poſtea viguit, hæc nauigandi ſcientia, cumque dies non noctes & proximè oram maritimam nauigarent, ex quo tardiores efficiebantur nauigationes, propter longos orarum anfractus, veluti quoſdam in ſemet reductos Mæandros, idque verno non hyemali tempore. Deinde, cum in crebras; tum aquationes, tum lignationes, & in perquirendos nouos naucleros, atque in expectandos cōmodiſſimos ventorum acceſſus, poſtremò in aurũ comparandũ, ſeu rerum permutationibus, ſeu quacumque alia ratione id fieret, non modicum temporis inſumendum eſſet, nihil mirum videri debet, ſi totum curſum antè triennium cōficere nequiuerint. Mitto inſtrumentorum nauticorum duplices apparatus, quibus illa ætas in nautica diſciplina nondum ſatis exercitatata, opinor non vtebatur. Quorum penuria ſolet ſæpe numerò curſus nauigationum retardare, dum reficiendis nauibus, vi ventorum ac tempeſtatum corruptis incumbunt, vt vſu venire videmus noſtris nauibus ex India huc properantibus, quæ in inſula *Moſambiqua* hyemare eiſdem de cauſis ſæpiſſimè coguntur. Quanquam, vt ſuperius diximus, illa verba ſacræ hiſtoriæ, *ſemel per tres annos*, etiam 3.Reg.10.
in hunc ſenſum & fortaſſe veriorem explicari

poſſe arbitramur, vt trinis annis ſemel claſſis Salomonis ſolita ſit in Ophyram regionem nauigare, non autē quod perpetuos tres annos in hanc nauigationem inſumpſerit. Accidere namque poterat, vt ex tam longa nauigatione naues adeò diſſipatæ & diſſolutæ redderentur, vt integrum triennium, tum in nauigatione peragenda, tum in claſſe, maris iactationibus corrupta & conquaſſata, reficienda inſumeretur. Quemadmodum accidere noſtris nauibus in Indiam nauigantibus ſolitum eſt, vt quam pauciſſimas extitiſſe credamus, quæ duas amplius nauigationes, in tam longinquas oras perficere quiuerint. Nec ſic integræ omnibus ſuis partibus redierint, vt non refici & inſtaurari ad iterum nauigandum, malis, carinis, lateribus, proris, puppibus, antennis, velis, gubernaculis, alijſque huiuſmodi ad earum robur & firmitaté ſtabiliendam pertinentibus, opus eis fuerit. Quapropter mirari deſinamus, cum Romani in ea ætate, in qua iam ars ipſa nauigandi ampliores fecerat progreſſus, plurimū terra marique poſſent, annū tamen (vt auctor eſt Plinius) in eadem Indica nauigatione, quæ citra Gangem continebatur, abſumerent, claſſem Salomonis longius (quippe vltra Gangem) progreſſam (qui nec opibus, nec nauali diſciplina, antiquis illis temporibus, nondum ſatis cognita

cognita nec culta, cum Romanis eſſet conferendus) ante triennium conficere nequiuiſſe. Sed hæc hactenus.

Sequitur, vt de reliqua parte dicendũ ſit, quam in vltimũ locum noſtræ diſputationis coniecimus. Quę quorundã huiuſmodi continet ſententiam, vt ſtatuant inſulam *Sofalam*, quam vltra Bonam Spem promontorium, ad oram maritimã Æthiopiæ ſub Ægypto poſitam cõmemorauimus, eſſe *Ophyram* regionẽ. Idq́; huiuſmodi rationibus concludunt. Cũ id vocabulum *Tharſis* apud ſacras literas (vt ipſi volunt) *Africam* ſignificet, cumq́ue inſula Sofala in Africæ regione ſita ſit, illicq́ue plurima auri ſuppetat vbertas, quod finitimi Æthiopes, qui eorum lingua *Cafri* appellantur, ad prædictam inſulã importare ſoliti ſint, vt eius permutationibus, ea, quibus carere nõ poſſunt, à noſtris hominibus ibidem degentibus nanciſcantur, ſatis apparere ijs ſic conſtitutis, & conſequens eſſe quod ſtatuunt, *Ophyram* ſcilicet eſſe *Sofalam*.

III. Opinio Volaterrani.

Tharſis in ſacris literis an ſit Africa.

Verùm hæc quo verius ac rectius intelligi dijudicarique, valeant cunctos ſacrorũ librorũ locos, in quibus hęc nauigatio cõmemoratur, ſubijciemus. Deinde, quęcunq; in rei huiuſmodi diſquiſitione ſunt poſita, in oẽs partes diſputabimus. Poſtremò, ſi quod aliquorum peccatũ, in hac ipſa re dijudicãda ſit animaduer-

maduerſum, indicabimus. Sed ipſa iã Sacræ hiſtorię verba diligẽter attẽdamus. Ait enim: *Claſſem quoque fecit rex Salomon in Aſion gaber, quæ eſt iuxta Ailath in littore maris Rubri, in terra Idumeæ, miſitq́; Hiram in claſſe illa, ſeruos ſuos viros nauticos & gnaros maris, cum ſeruis Salomonis. Qui cum veniſſent in Ophir ſumptum inde aurum, quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem.*
3.Reg.10. Et ſequenti capite. *Sed omnia vaſa de quibus potabat rex Salomon erant aurea, & vniuerſa ſuppellex domus ſaltus libani de auro puriſſimo. Non erat argentum, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis, quia claſſis regis, per mare cum claſſe Hiram, ſemel per tres annos ibat in Tharſis: deferens inde aurum & argentum, & dentes Elephantorum, & Simias & Pauones.* In 2. verò libro Paralip. cap. 2. ait. *Tunc abijt Salomon in Aſiongaber, & in Ailath ad oram maris rubri, quæ eſt in terra Edom. Miſit ergo ei Hiram, per manus ſeruorum ſuorum, naues & nautas gnaros maris, & abierunt cum ſeruis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad regem Salomonem.* Nono autem cap. idem iterum refert. *Sed & ſerui Hiram cum ſeruis Salomonis, attulerunt aurum de Ophir, & ligna Thyina & gemmas pretioſiſſimas, de quibus fecit rex de lignis ſcilicet Thyinis, gradus in domo Domini*

& in

& in domo regia, Citharas quoque & Pſalteria cantoribus. Nunquam viſa ſunt in terra Iuda ligna talia. Et in eodem cap. eadem inculcat, dicens. *Omnia quoque vaſa conuiuij regis erant aurea, & vaſa domus ſaltus Libani ex auro puriſſimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur, ſi quidem naues regis ibant in Tharſis cum ſeruis Hiram ſemel in annis tribus, & deferebant inde aurum & argentum, & ebur & ſimias & pauones. Magnificatus eſt igitur Salomon ſuper omnes reges terræ, præ diuitijs & gloria.* Præterea c. 20. ſic ait. *Poſt hæc autem inijt amicitias Ioſaphat rex Iuda, cum Ochozia rege Iſrael, cuius opera fuerunt impijſſima, & particeps fuit, vt faceret naues quæ irent in Tharſis, feceruntq́ claſſem in Aſiongaber, prophetauit autem Eliezer filius Dodau de Mareſa ad Ioſaphat dicens. Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſsit Dominus opera tua, contritæq́ ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis.* Quibus diligengenter inſpectis intelligitur, ſacram hiſtoriã, eandem regionem modo *Ophyr*, modo *Tharſis*, diuerſa nominum appellatione nuncupare. Quod anſam præbuit aliquibus (cum perſuaſum haberent *Tharſis* apud Hebræos *Africam* ſignificare) ad exiſtimandum *Sofalam* inſulam (vt diximus) fuiſſe olim *Ophyram*. Verum diuus Hieronymus hunc nobis eripuit errorem. Nam dum quædam loca Eſaiç

explicat

Tharſis D. Hieronymo, vide Geographicũ Theſaurũ Ortelij, & P. Riber. in XII. Prophet. minores.

explicat, hæc infert. *Eſt autem Ophyr Indiæ locus, in quo aurum optimum naſcitur.* Et alibi explicans vim ſignificationis huius vocabuli *Tharſis* ait, *Tharſis, vel Indiæ regio eſt, vt vult Ioſephus, vel certè omne pelagus Tharſis appellatur.* Et in explicatione vltimi capitis Iſaiæ, eadem rurſus inculcat. *Tharſis lingua Hebræa mare appellatur, &, vt aiunt, Indiæ regio, licet Ioſephus litera commutata Tharſum putet nuncupari pro Tharſis vrbem Ciliciæ.* In Ionæ autem commentarijs hæc quoque ſubiungit. *Vnde imitatus Cain Ionas, & recedens à facie Domini, fugere voluit in Tharſis, quam Ioſephus interpretatur Tarſum Ciliciæ ciuitatem, prima tantum litera commutata. Quantumq́ verò in Paralipomenon libris intelligi datur, quidam locus Indiæ ſic vocatur. Porrò Hebræi Tharſis mare dici generaliter autumant, ſecundum illud:* In ſpiritu vehementi confringes naues Tharſis, *id eſt, maris. Et in Iſaia.* Vlulate naues Tharſis. *Super quo ante annos plurimos, in epiſtola quadam ad Marcellam dixiſſe me memini, Non igitur propheta ad certum fugere cupiebat locum, ſed mare ingrediens quocunq; pergere feſtinabat, & hoc magis conuenit fugitiuo & timido, non locum fugæ ocioſæ eligere, ſed primam occaſionem arripere nauigandi.* Ipſius verò epiſtolæ ad Marcellam hæc verba ſunt. *Quæris ſi Tharſis lapis Chryſolitus ſit aut Hiacynthus, vt diuerſi inter-*

interpretes volunt, ad cuius coloris ſimilitudinem Dei ſpecies ſcribatur. Quare Ionas propheta Tharſis ire velle dicatur, & Salomon & Ioſaphat in Regnorum libris naues habuerint, quæ de Tharſis ſolitæ ſint exercere commercia. Ad quod facilis eſt reſponſio, homonymum eſſe vocabulum, quòd & Indiæ regio ita appelletur, & ipſum mare quia cæruleum ſit & ſæpe ſolis radijs percuſſum, colorem ſupradictorum lapidum trahat, & à colore nomen acceperit, licet Ioſephus τ. pro θ. litera mutata Græcos putet Tarſum appellare pro Tharſis. Hæc diuus Hieronymus. Ex quibus liquidò perſpicitur perſuaſiſſimum fuiſſe viro ſanctiſſimo & eruditiſſimo, hanc regionem in India eſſe poſitam, eique duo nomina indita, videlicet *Ophyr & Tharſis*, atque in eadem ſententia fuiſſe Ioſephũ, vt ex verbis ipſius à nobis paulò ante recitatis, & ex diuo Hieronymo, qui iſtuc ipſum ſenſiſſe Ioſephum affirmat, oſtenſum eſt. Atquî ipſe auctorem in illa ætate grauem extitiſſe neminem exiſtimo, qui hoc verbum *Tharſis*, apud Hebræos *Africam* ſignificare ſcribat, ſed longè alio nomine ac diuerſo Hebræos *Africam* nuncupare ſolitos accepimus, quod eſt *Phut* ſiue *Phul*. Ait namque diuus Hieronymus, dum caput vltimum Iſaiæ interpretatur: Phut *autem ſiue* Phul *Libye, omniſque Africa vſque ad mare Maurita-* Phut, ſeu Phul Hebræis Africa dicta

nia,

niæ, in qua fluuius hodie qui Phut *dicitur, & cuncta circa eum regio,* Phutenſis *appellatur.* De quo fluuio ſic meminit Ioſephus. *Inſtituit & Phut Libyam, Phutos à ſe vocans prouinciales. Eſt autem & fluuius in Mauritania prouincia, qui iſto nomine nuncupatur. Vndè & plurimos Græcorum hiſtoriographorum inuenimus huius fluminis memoriam facientes, & ex adiacenti prouincia, quæ* Phuti *vocatur, ei nomen impoſitum.* Hæc diuus Hieronymus & Ioſephus. Eius fluuij quoque mentionem facit Plinius, cum Mauritaniam Tingitaniam deſcribit, cuius hæc verba ſunt. *Indigenæ autem tradunt, in ora ab Sala. CL. M. paſſ. Flumen Aſanam, marino hauſtu ſed portu ſpectabile, mox amnem quem vocant Phut.* Hunc Ptolemæus quoque *Phthut* nominat, in eademque prouincia eſſe, eiuſque oris ſitum gradus habere 72302. ſcribit. Quod flumen *Phut*, nunc corrupto nomine *Fez*, & regio *Phuti* etiam *Regnum Fez* hodie nuncupari, nemini dubium eſt. Quod & nos, in quibuſdam noſtris Geographicis Obſeruationibus accuratè diſputauimus; & ſatis credó, diligenter (abſit verbo inuidia) perquiſita & inueſtigata, à nobis ſunt hæc ipſa, huius antiqui nominis veſtigia. Sed ne de pluribus agam, ad propoſitum reuertar. Iam illud opinor notum & ſatis compertum eſſe, vel illis qui

libr.1. Antiquit. c. 6 (alijs 12.)

lib. 5. ca. 1. Natur. hiſtor.

qui mediocri literatura præditi ſunt, Iudæos, prouincias & regiones, atque maria & inſulas, longe alijs nominibus ac nos, ſolitos eſſe nuncupare. Nam nomina eorum, quos maximè perſuaſum habuere, extitiſſe primos terrarum cultores, ipſis terris indiderunt. Quapropter Africam (vt modò diximus) *Phut* à Chami huius nominis filio, Æthiopiam verò ſub Ægypto, *Chus* à Chuſo Phutis fratre. A Mezraimo horum etiam fratre, totam Ægyptum Mezraim appellauere. Quo nomine his temporibus, à Iudæis & Arabibus, Ægyptus *Mitzraim* nuncupatur, & vrbem *Alcayrum* eius Prouinciæ metropolim, (quam nonnulli falsò *Memphim* arbitrantur) ob linguarum inter ſe ſimilitudinem, *Mezzaram* vocant. Quemadmodum temporibus etiã Ioſephi à Iudæis vocabatur, vt teſtatur ipſe his verbis. *Seruata eſt etiam Mezreis ſecundum appellationem priſca memoria. Ægyptum namque Mezrim & Mezreos omnes vocamus Ægyptios.* Tum Cyprum inſulam *Cethim* appellauere, à Cethimo Iapheti nepote. Atque hinc mos apud illos inoleuit, vt inſulas hoc nomine *Cethim* ſignificarent. Italiam verò *Thubal* nuncupant à nomine Thubalis, quem primò credidere hanc Prouinciam coluiſſe. Nec *mare Rubrum*, vel hoc nomine, vel ſinum Arabi-

Hebræi Regiones ferè à primis cultoribus nominant.

Ægyptus

Mẽphim, malè *Alcayrũ* nominant.

libr.1. Antiquit. Iudaic. c. 6.

Cyprus.

Italia.

R cum,

cum,vt Græci & Latini, ſed *mare Carectoſum* appellare ſemper conſueuerunt. Qua de re, miror ſi qui ſunt, qui apud Hebræos exiſtiment *Tharſis* nomine Africam ſignificari. Niſi fortè auctoritate ducti cuiuſdam Iudæi Dauid Chimhi nuncupati. Cui ego alijſque recentioribus Iudæis, nullam tribuendam eſſe auctoritatem exiſtimo, maxime quandò aliter ſentiunt ac diuus Hieronymus, & antiqui ac doctiſſimi Iudæorum, illi præſertim qui Chriſti pręceſſerunt ætatem. In quorum ſunt numero *Philo & Ioſephus*, ab ipſo Hieronymo & ſapientiſſimi & eruditiſsimi exiſtimati. Nam (vt prætercam quòd à viris longè grauiſsimis & in Hebraicis literis exercitatiſsimis acceperim : cum Romæ apud Paulum III. Pontificem Maximum, negocia gererem illuſtriſsimi Principis Henrici Cardinalis ac Portugalliæ Infantis, Iudæos huius ætatis, nullam aut certè perexiguam Hebraicæ linguæ eruditionem callere,) quæ tanta poteſt eſſe hominum quorundam inſcitia, ſeu potius amentia, vt perfidi Iudæi, à veraque Chriſti Optimi Maximi Religione alieniſsimi, iudicium præferant diui Hieronymi eruditioni & auctoritati? Quem diuus Auguſtinus *virum doctiſsimum* appellat, *& omnium trium linguarum peritiſsimum*. Et quę Iudæi illius ætatis, rectè de Hebraicis vete-

rem ſacrorum librorum ſcripturam, in Latinum conuertiſſe ingenuè fatebantur. Quapropter non aliter huiuſmodi homines deſipere arbitror, ac ſi veritati vanitatem anteponant. Suſpicamur ipſum Dauidem, & ſi qui ſunt in eadem ſententia, cum apud Iſaiam, Hieremiam & Ezechielem, Septuaginta interpretes diuumque Hieronymum, hoc vocabulum *Tharſis Carthaginem* aliquando interpretatos eſſe animaduerterent, hinc occaſionem fortaſſe nactos ad hanc opinionem confirmandam, videlicet Tharſis, vnde aurum Salomoni afferebatur, *Africam* ſignificare; cumque, vt diximus, finitima *Sofalæ* regio auri feraciſsima ſit, & in quadam Africæ parte collocata, omninò ſtatuerunt *Sofalam Ophyram* eſſe *regionem*. Quaſi verò in multis Æthiopię partibus, ad quas breuiore temporis interuallo, è noſtro mari in Atlanticum exeuntes nauigare potuiſſent, non magna etiam auri, idque optimi affluentia ſit, ſummaque vbertas? Ex cuius Æthiopiæ diuerſis locis, noſtri homines, auſpicijs Chriſtianiſsimorum Portugallię Regum, ſingulis quibuſque annis, ab ipſis Æthiopibus variarum rerum permutationibus, aurum comparantes huc deferunt. Quod ſi diuus Hieronymus & LXX. apud commemoratos Prophetas, idque certis duntaxat locis, id vocabulũ *Tharſis Car-*

ſis *Carthaginem* ſignificare profitentur, non id propterea, quòd ex ſua præcipua, & , vt ita dicam natiua ſignificatione, vrbem Romani imperij æmulam exprimat. Quî enim id fieri poterat, cum Salomonis ætate necdum *Carthago*, vt iam demonſtrauimus, condita eſſet? Sed cum ciuitas admodùm opulenta foret, & maximis afflueret auri & argenti diuitijs, commercio Hiſpaniæ id temporis omnium metallorum feraciſſimæ adeptis, quibus domi foriſque potentiam & imperium ſuum largiter auxerat, eam nomine *Tharſis* expreſsit diuina Scriptura: ſicuti terris nouis noſtra memoria repertis vſu veniſſe videmus. Quæ ideò quòd à nobis procul verſus occiduas orbis partes receſſerint, & auro plurimùm abundauerint, vulgò iam *Indiæ* nomen inuenerint. Qui enim aliter ſtatuunt ij multum à veritatis ratione abeſſe, nec iuſta reprehenſione caruiſſe mihi videntur, ſi iudicant ſacram Scripturam Salomonis principatu, hoc verbo vrbem, quæ id temporis nuſquam eſſet, deſignaſſe. Quoniam verò recentiores Iudæi, in ſumma Geographicæ facultatis ignoratione, temporumque inſcitia verſantur, nec exterarum nationum hiſtorias attingunt, quò temporum ordines, varietates, eorumque congruen-

gruentiam, diſquirere & dijudicare valeant, quippè cum *Hiſtoria teſtis ſit temporum, & nuntia vetuſtatis*, vt rectè iudicauit quidam, fit, vt varijs id genus imbuantur erroribus.

M. Tull. 2. de Orat. ad Q. Fratrem.

Quod accidere nequaquàm potuit in hoc genere *Ioſepho & Philoni*, in omni diſciplinarum doctrina, & rerum multarum cognitione verſatis. Hanc Hieronymi & Septuaginta interpretationem, nonnulli fortaſſe arripientes, exiſtimauerunt aliquandò *Carthaginem* fuiſſe *Ophyram*, parùm attendentes è quonam portu, quoue ex ſinu claſsis Salomonis eandem regionem petitura ſolueret. Sed nec attenderunt apud *Sofalam* inſulam, nullum pretioſarum gemmarum genus, nullum argentum, nullos eſſe pauones. Quæ omnia, ex *Ophyra* regione præter aurum, etiam afferebantur. Id quod Georgius Agricola animaduertiſſe viſus eſt, cum *Sofalam Ophyram* eſſe negauit, in libris quos de *veteribus & nouis metallis* compoſuit. Atquî tantum abeſt, vt *Tharſis*, Salomonis tempore *Africam* ſignificauerit, vt non defuerit, qui hac tempeſtate, libros veteris legis conuerterit ex Hebraicis, & vocabulum *Tharſis* apud hiſtoriam Regum (tertio Regum 9. & 10.) *Iudæorum mare* interpretaretur, non autem *Indiæ* oram, integra re-

Georgius Agricola.

manente hiſtoria *Ophyræ* regionis.

Nunc reliquum eſt, vt cauſas explicemus, cur in mentem venerit Sacræ hiſtoriæ, eam *Indiæ* regionem *Ophyram* nuncupare. Quòd ſi ea, quæ ſuperius à nobis in hoc genere ſunt diſputata, diligentius attendamus, facilè reperiemus vt ſupra diximus, moris eſſe ſacræ Scripturæ, nomina eorum, qui terras primum incolere & habitare cœperunt, ipſis terris imponere. Sed cum huiuſmodi nomina, parùm cognita alijs nationibus fuerint, vt ipſe ſimiliter Ioſephus animaduertiſſe viſus eſt, propterea quòd eis ſoli Iudæi vterentur, euenit, vt ob prædictorum nominum inſolentiam, multa ſacrorum librorum huius generis loca, maximè obſcurarentur & magnam dubitationem afferrent. Quod ſi nonnulli Iudæorum viri doctiſſimi, qui aliarum gentium & exterarum nationum literas, hiſtorias, & monumenta, variaſque artium diſciplinas perceperunt, ex quibus extitere *Philon & Ioſephus*, ſumma cum diligentia, non multa huiuſmodi poſteris explicata, literis tradidiſſent, quæ peculiari quadam cognitione indigebant, multò peius etiam nunc circa locorum huiuſmodi abſtruſorum intelligentiam hallucinaremur. Si autem recentiores Iudæi, more illorum (quos modo nominaui) clarorum virorum, literis Græcis &

Ioſeph. li. 1. Antiqui. cap. 6.

Philo & Ioſephus.

Latinis,

Latinis ab ineunte ætate imbuerentur, reliquaſque; diſciplinas attingere in animum inducerent, quò rerum ac temporum congruentiam intueri & intelligere poſſent, non eſſet ſanè quòd in tantis ac tam deprauatis opinionum erroribus implicarentur. Nunc, cum præter Hebraicas literas, haſque ſine vlla Grammatices ratione, primoribus labris deguſtatas verius quàm perceptas, quippè à parentibus veluti tumultuariè traditas, nullum, nec literarum nec diſciplinarum genus conſequantur, quid aliud quàm labi, falli, & turpiter errare illis futurum putamus? Quodque caput eſt, præterquàm quòd cum ipſo nutricis lacte errorem ſugere incipiunt, non modo ignoratione verę Religionis imbuuntur, ſed varijs, tum falſis, tum peruerſis, & quãdoque ridiculis etiam opinionibus, poëtarumque portentis ſimilibus adhæreſcunt. Quarum plura quidem genera videre licet, cum apùd multos benè doctos viros, à quibus aduerſus Iudæorum peruicaciam plura ſunt ſubtiliter & acerrimè diſputata, tum vel maximè apud Petrum Gallatinum, bonum in primis anctorem, & Hebraicarum literarum ſatis peritum. Adeò vt pudeat & miſereat me infelicis hominum conditionis in tot mentis cæcitates & animi prauitates immerſæ. Ioſephus igitur hunc locum è tene- Petr. Galatinus

 bris

bris in lucem euocare videtur. Explicans e-nim in primo libro Iudaicarum Antiquitatum, quendam locum ſacrorum librorum, ſatis docet vnde nominis originem *Ophyra* regio traxiſſe videatur. Quum enim diuina hiſtoria commemoret, temporibus Phaleg diuiſam fuiſſe terram, quamobrem hoc ei nomen inditum, quod *diuiſionem* ſignificat apud Hebræos, ita, *Natique ſunt Heber filij duo, nomen vni Phaleg, eo quod in diebus eius diuiſa ſit terra: & nomen fratris eius Iectan. Qui Iectan genuit Almodad, & Saleph, & Aſarmoth, Iare, & Adonan, & Vzal, & Decla, & Hebat & Abimael, Saba, & Ophir, & Heuila, & Iobab. Omnes iſti filij Iectan. Et facta eſt habitatio eorum de Meſſa pergentibus vſque Sephar montem Orientalem.* Ioſephus verò eadem in hunc modum narrat. *Heber autem Iectan genuit & Phaleg. Dictus autem Phaleg, quoniam ſecundum diuiſionem habitationum natus eſt. Phaleg autem* diuiſionem *Hebræi vocant. Iectan verò, qui filius fuit Heber, habuit filios Helmodad, Saleph, Aſarmoth, Iarach, Aduram, Vzal, Decla, Obal, Abimael, Saba,* Ophyr, *Euila, Iobab. Iſti à flumine Cophina Indiæ, & poſitæ circa eam Syriæ, loca quædam inhabitant.* Hæc Ioſephus. De quo flumine qui Indum influit, frequens mentio fit apud Geographos. Quorum verba ſubijcienda

Ophyra vnde dict. Ioſepho.

Geneſ. 11.

lib. 1. Antiqu. c 6. (alijs 14.)

duxi-

duximus, ad pleniorem rei cognitionem & intelligentiam. Nam Pomponius hæc profert. *Indus ex monte Paropamiſo exortus, & alia quidem flumina admittit, ſed clariſſima Cophen, Aceſsinem, Hydaſpem.* Plinij verò huiuſmodi ſunt. *A proximis Indo gentibus montana Capiſſenæ habent Capiſſam vrbem quam diruit Cyrus, Arachoſia cum oppido & flumine eiuſdem nominis. Quod quidem Cophen dixere à Semiramide conditum.* Et paulò inferius ſubiungit. *Flumen Cophes, influunt in eum nauigabilia Sadarus, Paroſpus, Sodinus.* Strabo autem incidens in mentionem Alexandri in Indos expeditionis, de eodem fluuio ſic meminit. *Quare iiſdem montibus per vias breuiores exuperatis, reuerſus eſt, habens Indiam à ſiniſtris. Poſtea rurſus in eam rediit ac occidentales eius fines, & Cophen flumen & Choaſpem qui in Cophen immittit.* Et paulò inferius. *Poſt Cophen itaque Indus fluit. Regionem inter hæc duo flumina mediam habitant Aſtaceni, Maſsiani, Niſsei, &c.* Et Plinius iterum. *Vltimo fine Cophete fluuio, quæ omnia Ariorum eſſe aliys placet. Nec non & Nyſam vrbem plerique Indiæ aſcribunt.* Quum igitur decem filiorum Iectani coloniæ, partim in quædam Syriæ loca Indiam penè attingentia, partim, in illum Indiæ tractum quæ Cophe fluuio irrigatur (vt Ioſephus narrat) deductæ ſint, & vnus ex eius filijs

Pompon. Mela libr. 3 cap. 7.

lib. 6. nat. hiſt. c. 23.

Strabo.

lib. 6. c 21. nat. hiſto.

filijs *Ophyr* nuncupatus fuerit, apparet ex hoc nomine per interiores Indię partes pertinente, *Ophyram* regionem eſſe nominatam, vt rectè exiſtimauit Rabanus Maurus & Nicolaus Lyranus. Quoniam verò Heuilat frater Ophyri, finitima *Ophyræ* regioni loca etiam incoluit, ideò Moſes cum Indiam exprimere voluiſſet, quam inclytus amnis Ganges (*Phiſon* ab eo appellatus) vberrimis aquis interfluit: Hauilat nuncupauit. *Et fluuius (inquit) egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita, nomen vni Phiſon, ipſe eſt qui circuit omnem terram Heuilat, vbi naſcitur aurum. Et aurum terræ illius optimum eſt.* Quam regionem Heuilat Ioſephus *Indiam* interpretatur. Cuius hæc ſunt verba: *Rigatur autem hic hortus ab vno flumine circa omnem terram vndiquè profluente. Hic in quatuor diuiditur partes, & vni quidem nomen eſt Phiſon, quod inundationem ſignificat: eductus in Indiam pelago diffunditur: qui Getha nuncupatur à Græcis.* Sed ne quis arbitretur hanc eſſe *Heuilat*, quam alio in loco idem Ioſephus dicit eſſe *Getuliam* Africæ prouinciam, ab Heuila Chuſi filio nominatam, opus eſt vt duos fuiſſe eiuſdem nominis intelligatur; hunc quem modo nominaui, alterum Iectani filium Ophyrique fratrem, de quo nunc agimus. Quam dubitationem funditus

Phiſon amnis eſt Ganges Indiæ flu.

lib. 1. Antiqu. c. 1.

libr. 1. Antiquit. c 6 (alijs 12)

ditus ſuſtulit Ioſephus, cùm ſignificauit fluuium *Ph ſonem* apud Indiam in pelagus defluere. Et Indiam prouinciam à Moſe *Heuilat* eſſe nuncupatam, præterquàm quòd ex ipſius verbis paulò antè recitatis liquidò dignoſcitur, tum etiam ex Commentarijs diui Hieronymi *de locis Hebraicis*, quibus ſic ait. *Heuilat vbi aurum puriſsimum, quod Hebraicè dicitur Zahab, & gemmæ pratioſiſsimæ, carbunculus, ſmaragduſque naſcuntur. Eſt autem regio ad Orientem vergens, quam circuit de Paradiſo Phiſon egrediens. Quem noſtri mutato nomine Gangem vocant, Sed & vnus de minoribus Noe Heuilat dictus eſt, quem Ioſephus refert cum fratribus ſuis à flumine Cophene & regione Indiæ vſque ad eum locum, qui appellatur Ieriæ, poſſediſſe.* Et paulò poſt ſubiungit. *Meſſe regio Indiæ, in qua habitarunt filij Iectan filij Heber. Sophera vero mons Orientalis in India: iuxta quem etiam prædicti habitauerunt, quos Ioſephus refert à Copheno flumine & Indiæ regionibus vſque ad eum locum perueniſſe, vbi appellatur regio Ieria. Sed & Claſsis Salomonis per triennium hinc quædam commercia deportabat.* Hæc ille. Intelleximus diui Hieronymi ſententiam, etiam Rabani Mauri cognoſcamus, ait enim: *Heuilat regio eſt Indiæ, quæ poſt diluuium poſſeſſa ab Heuilat, filio Iectan filij Heber patriarchæ Hebræorum.* In quorum ſententiam diſcedit

Heuilat Moyſi eſt India.

Hiero-

Hieronymus ab Oleaſtro, ampliſſimus Theologus in doctiſsimis Cõmentarijs, quos proximis annis edidit, in quinque libros Moyſi, cuius etiam verba tranſcribere viſum eſt, quæ huiuſmodi ſunt. *Alia eſt Chauilah, denominata à Chauilah filio Iectan filij Heber. Quæ quidem Chauilah etiam Orientalis eſt, quia ibidem dicitur fuiſſe habitatio filiorum Heber, à Meſah vſque ad Sephar montem Orientis, quæ etiam auro abundat, cum ſit propè Ophir. Nam Ophir, fuit frater Chauilah, vt ibidem dicitur.* Hæc ille. Ex quibus omnibus intelleximus Iudæorum peculiares, regionum, fluminum, inſularum, & maris appellationes, à Græcis & Latinis, ab alijſque aliarũ nationum longè diuerſas, eaſque à primis terrarum habitatoribus eſſe deductas. Tũm etiam perſpeximus *Ophyrum & Heuilam* fratres, vt Ioſephus, vt diuus Hieronymus, vt alij quoque viri doctiſſimi (quorum modò mentio facta eſt) profitentur, Indiæ quaſdam partes incoluiſſe, quas diuina hiſtoria ex more ſuo, eiſdem duorum fratrum nominibus, Ophyram & Heuilam appellat. Quarum alteram Moſes ſcribit aurum optimum gemmaſque pretioſiſſimas producere: ex altera vero ingentem auri copiam Salomoni delatam, Iudæorum regum monumenta teſtantur, haſque finitimas eſſe,

eſſe,& (vt paulò antè dixit diuus Hieronymus) ex quarum altera claſsis, Salomonis per triennium quædam commercia deportabat. Prętereà Africam, conſentientibus doctorum virorum teſtimonijs, apùd Hebræos *Phut*, non *Tharſis* eſſe appellatam, & & *Ophyram* apùd Indos eſſe etiã percepimus. Quid ergo amplius pertinaciter inhæremus, inaniſsimis Iudæorum recentiorũ opinionibus & deliramentis, eorũque lutulentos riuulos conſectamur, ex limpidiſſimis autẽ doctiſsimorũ atque Orthodoxorum Patrum fontibus, haurire negligimus? Nec me mouent nouæ Auguſtini Eugubini in hunc locum interpretationes, noua neſcio quæ flumina cõminiſcentis, (quanquam aliâs hominis eruditionem & doctrinam ſuſpicio & veneror, & quanquam cũ illo mihi arctiſsima Romæ conſuetudo interceſsit, magis tamen amica veritas.) Quæquidem parum momenti (ſi rectè quis rẽ perpendere voluerit) habere videntur, & quas non magni fuerit negocij conuincere. Nec me mouent vel ſexcenti recentiores Iudæi nouis & deliris ſemper interpretationibus ſtudentes, & noua ſenſa ab antiquis Orthodoxorum Patrum ſententijs, longe abhorrentia, in diuinos libros architectantes. Quorum Iudæorum libri, integra mente & acri attentoque animo euo-

3. Reg. 9. & 10.

Rabini cautè legendi.

euoluantur oportet. Nam hinc, vt arbitror, iam eò proceſſit hæreticorum quorundam hominum audacia, vt aſſerere nihil vereantur, ętate diui Hieronymi non admodum viguiſſe, ſeu potius elanguiſſe Hebraicarum literarum ſcientiam. Qui nihil aliud mihi viſi ſunt dicere, quum hæc dicunt, quàm diuum Hieronymum ſummis labris has literas attigiſſe. Quem vt (ſupra dixi) diuus Auguſtinus *peritiſſimum in hoc genere*, cum ſumma teſtificatione laudum ipſius fuiſſe dicit. Et quē doctiſſimi Iudæorum eius temporis profitebantur, ſacros libros veteris legis, ſummo animi iudicio & ſynceriſſima interpretatione conuertiſſe. Sed proh Deum immortalem, quid hoc eſt ſi mera inſania non eſt? Adeòne eſſe homines imperitos quibus tanta ſit innata vecordia, vt antiquos illos Eccleſiæ Patres, (diuino ſpiritu ſine controuerſia afflatos, atque ad exprimenda vera diuinorum librorum ſenſa, à Deo Optimo Maximo nobis velut dono datos) dicere audeant hallucinatos eſſe in enodandis quibuſdam Prophetarum intelligentijs, nec præcipua & germana illa ſenſa, quæ in illis locis ipſi præ ſe tulerunt Prophetæ attigiſſe. Quibus Prophetarum locis, ad Chriſtianum dogma maximè confirmandum appoſitis, & eodem ſenſu enodatis, poſteris temporibus Eccleſia pro

D. Hiero. peritia linguæ ſanctæ,

acerri-

acerrimo telo vſa ſit, ad infringendam multorum hęreticorum peruicaciam? Quid dici poteſt inſanius? aut quid iſti omnium hominum ſuperbiſſimi aliud perſuadere videntur, quàm ea ſe (ſi dijs placet) aſſecutos eſſe, quæ magni & ſapientes illi viri ne deguſtarunt quidem?

Verùm hæc nos in aliud tempus, in aliumque locum differamus, ad propoſitumq; reuertamur. Perſpectis tot, tantorumque Patrũ teſtimonijs & auctoritatibns, nemini opinor, iam dubium & controuerſum erit, *Ophyram* regionem apud Indiam eſſe, ab *Ophyro*que Iectani filio denominatam & *Tharſis* vocabulũ eſſe homonymum, vt aſſerit Diuus Hieronymus ad Marcellam, propterea quod & *mare & locum Indiæ* ſignificet. Hanc igitur rationẽ habet Diui Hieronymi, Flauij Ioſephi, aliorumque ſententia, circa regionem *Ophyram*, quam apud Indos eſſe, vt diximus, ſtatuunt. Epilogus.

Nunc excutienda ſunt quæ literis mandauit nobiliſſimus & clariſſ. Theologus Cardinalis Gaietanus, non de *ophyra* regione, quã prorſus ignorare ſe ingenuè fatetur, ſed de curſu quem claſſis Regis Hiræ teneret, cùm ad claſſi ſe coniungendum Salomonis, ſolueret è portu, vt vnà peterent eandem regionẽ. *De nominibus (inquit) proprijs, quæ hic ſcribuntur, reddere certam rationem neſcio, hoc tamen* Thomæ Caietani opinio.

certum

certum eſt, quod Salomonis tum ſcientiæ tum prouidentiæ atteſtatur conſtructio & miſsio nauis in Ophir pro auro. Et in ſecundo Paralipomenon capite octauo iſthæc dicit. *Salomon ſiquidem fecit propriam claſſem in illo mari. Rex autem Tyri miſit naues ſuas ad ſeruiendum Salomoni, ſimul cum proprijs nauibus Salomonis. (Et iuerunt cum ſeruis Salomonis in Ophir) Regio Indiæ dicitur. Reliqua vide expoſita tertio Regum nono: aduertendo duo. Alterum, quòd quia nauigatio in Ophir per mare Oceanum erat, ideo Salomon ad euitandam nauigationem per mare Mediterraneum vſque ad Oceanum, perrexit ad oram maris Rubri, (quod eſt quidam ſinus maris Oceani) & ibi conſtruxit claſſem, ad hoc enim illuc iuit. Alterum, quod rex Tyri naues quas miſit, non niſi per Mediterraneum mare mittere ex Tyro potuit, ad coniungendum illas cum nauibus Salomonis.* Hæc ille. Quàm rem rectè quidem iudicauit vir doctiſsimus. Quis enim non in eiuſmodi cauſa? Nam qui fieri poſſet, vt naues è Tyro ſoluentes aliter in ſinum Atlanticum pergerent, quàm per fretum Herculeum in Oceanum Atlanticum exeuntes, totamque oram Africæ & Æthiopiæ permeantes, magnum illud *Bonam Spem* promontorium tranſgrederentur, atque indè recto curſu aliud Arabiæ promontorium, olim *Aromatam*, nunc autem

Guarda-

Guardafum nominatum petentes, tandem anguſtias Rubri maris ingrederentur? Sed præterquàm quòd hæc nauigatio tunc temporis omninò incognita erat (vt ſæpè iam diximus) multò facilius à rege Tyri id perfici poterat, & minore, cum temporis tum rei familiaris ſuæ diſpendio, & tandem expeditiore via, ſi materia dolata, ex qua naues ædificari ſolent, camelis & alijs iumentis, ſuperato iſthmo inter illa duo maria interiecto, *Aſiongaberum* deportaretur, (ſicut olim fieri conſuetum eſt à Sultanis Ægypti, nunc autem à Turcarum Regibus, quandocunque claſſes, quas illic habent, reficere, ſeu nouas ædificare vſus eſt,) quàm tantam maris vaſtitatem tranſmittere, vt cum Salomonis claſſe coniungeretur. Sed ea perſuaſio fortè literatiſsimũ virum fefellit putantem, regis Hiræ claſſem è Tyro (ad oram noſtri maris poſita) in Indiam ſolitam nauigare. Cum enim legeret hæc verba ſacræ hiſtoriæ. *Tunc abiit Salomon in Aſiongaber & in Ailath, ad oram maris Rubri, quæ eſt in terra Edom. Miſit ergo ei Hiram per manus ſeruorum ſuorum naues & nautas gnaros maris, & abierunt, &c.* Fortè non videbatur illi, cum Salomon ageret apud maritima loca maris Rubri ſuperius memorata, rectè ſignificaſſe diuinam hiſtoriam, Regem Hiram ad illum miſiſſe naues & nautas ſuos, 2. Paralip. 8.17.

ſi in eodem quoque mari id temporis eſſet Hirę regis claſsis. Quare rem parum videtur perpendiſſe tanti nominis Theologus. Nam quę apud Alexandriam in noſtro mari ſunt naues, quis vetat quin Carthaginem mittantur, atque hinc Vticam ſeu Hipponem Regium, quæ oppida in locis maritimis eiuſdem maris ſunt poſita? Cum Carolus quintus Romanorum imperator Tunnetum oppidum obſidet, naues quæ à Neapoli cum commeatibus, reliquiſque id genus bellici apparatus, eò mittuntur, nonne ad portus eiuſdem maris mittuntur? quis hoc audeat inficiari? Verum hæc tot verbis perſequi non eſt neceſſe, cum ſint in promptu. Porrò quæ ad oppidorum *Ailanæ & Aſiongaberi* cognitionem, & notitiam pertinent, eis, quoniam in quibuſdam noſtris Geographicis Obſeruationibus mox in lucem prodituris, à nobis ſunt multis verbis diſputata, in pręſentia ſuperſędendum duximus. Sed hæc in mentem mihi venerunt, de *Ophyra regione* quę dicerem.

F I N I S.

DE OPHIRA REGIONE ABRAHAMVS ORTELIVS IN THESAVRO GEOGRAPHICO.

OPHYR regio aurifera, in ſacris litteris celebris, vnde Salomoni, alijſque Hebræorum Regibus, ternis annis (vti 3. Reg. 9. & 2. Parali. cap. 9. habetur) magna vis auri aduehebatur. Sed vbi terrarum hęc regio ſita ſit, & an alio etiam nomine cognita eſſet, hactenus ignoratũ fuit. *σώφειρα*, & *σουφὶρ*, legunt LXX. interpretes. Ioſephus eam in India ponit: & TERRAM AVREAM *χρυσῆν γῆν* ſuo tempore vocatam addit Eupolemus auctor apud Euſebium lib. 9. cap. 4. Præparationis Euangelicæ, VRPHEN *οὐρφὴν* appellat, & dicit inſulam Maris Rubri eſſe, naueſque cogi ſolere Melanis, Arabiæ vrbe (Heſion Gaber, hanc vocat Sacra Scriptura: etſi Epiphanius *Ailon* dici in ſacris litteris prodat.) Hinc Marius Niger eã AVREAM CHERSONESVM Ptolomęi interpretatus eſt, non parum enim ad *terram auream* alludit; & Rubri Maris nomen huc vſque pertingere, ex claſſicis auctoribus doceri poteſt. Sed hãc Cherſoneſum, auri diuitem olim fuiſſe, nemo veterum, quod ſciam auctor eſt, neque nunc etiam eſſe, ex recentioribus palam eſt. Edidit tamen Gaſpar Varrerius Luſitanus

nuper peculiare opuſculum, de *Ophyra regione*: in quo conſtanter aſſeuerare multiſque argumentis perſuadere conatur, Sacræ Scripturæ *Ophyram*, eſſe auream Cherſoneſum: aut potius omnem eam oram quæ Peguſijs, Malaca & Somatra continetur. In Biblijs Vatabli à Rob. Stephano excuſis, pro *Hiſpaniola*, Noui Orbis inſula habetur. Poſtello autem *Peru* videtur: cui ſuffragatur doctiſſimus Goropius in ſua Hiſpania. Idem affirmat Ben. Arias Montanus, cuius viri ſententiam non ſolum ob multiplices eius virtutes, quibus à natura abunde ornatus, ſed ob omnis generis doctrinæ ſolidam peritiam, multarumque linguarum cognitionem admirabilem, libenter amplecterer, niſi deterreret me ab ea vaſtus ille Oceanus intermedius, quem omnis antiquitas innauigabilem, atque à mortalibus, quia ſacrum Diuûmque ſedem exiſtimarit, nauigatione minimè violandum, (vt docet apud Senecam Pedo Albinouanus) credidit. Neque apud vllum veterem auctorem reperies, ab vllo mortalium ante repertum magnetis lapidis vſum, (quem nuperum habemus) vnquam tẽtatum, nec immeritò. Neminem hoc enim potuiſſe vel poſſe, norunt, intelliguntque qui nauigant omnes. Caſu forte aut felicitate hoc aliquando eueniſſe, vt credam, facit Plutarchus in Sertorio: At conſilio

ſilio aut ſcientia hunc ab illo traiectum, nulla apud priſcos ſiue ſacros ſiue prophanos ſcriptores memoria. Circa littora autem nauigatū ſæpius teſtes exſtant tot antiquorum Græcorum Pericli: vt Hannonis, Arriani, Iaſonis Nearchi: & qui temporis iniuria intercidere, Eteſiæ, Menippi, Marcelli, Alexandri Theophili. &c. Ego Ophyr *Cephalam* vel vt alij pronunciant *Sofalam* Africæ verſus Orientē regionem interpretari cū Volaterrano malim, tum quod hæc, teſte grauiſſimo Io. Barroſo, admodum aurifera ſit, adeo vt etiamnum nihil præter aurum, vt Luſitanorum teſtantur peregrinationes, exteris mercatoribus cōmunicet: Tū quod ſcribat in ſua Indica nauigatione Thom. Lopeſius, hos Sofalēſes habere libros patria lingua ſcriptos, in quibus legitur Salomonē regē tertio quoq; anno hinc aurū tuliſſe. Ex Ophir etiā, ebur habuiſſe Salomonē ſacræ referunt litterę. atque hoc nō ex Peruuiana regione, vbi nullus vnquam elephas. Pro Ophir, *Ophath* ὄφατ legit Ioā. Tzetza, & inſulā, ſiue pæninſulā auream in India eſſe dicit. De Ophir adde quod habet Ioſephus à Coſta. Societ. Ieſu li. 1. c. 14. de natura Noui Orbis. vbi Ophir Indiā Orientalē, cū Ioſepho Iudæo, interpretatur. VPHAS locus vnde aurū adfertur, Hierem. 10. MOPHAS legunt LXX. OPHI autē D. Hieronymus & Chaldæus.

DE PARADISO IDEM.

In tabula Geographiæ ſacræ

DE *Paradiſo* magna quoque inter Theologos controuerſia. Maxima pars hunc in Oriente ſtatuit, alij in Syria; Poſtellus ſub polo Arctico. Sūt qui ſub Æquinoctiali fuiſſe conijciant. Goropio noſtro apud Indoſcytas eſſe multis argumentis perſuadetur. Ex veteribus quidam Lunarem globum pertingere tradunt: alij alibi. Cæſarius Nazianzeni frater, in Dialogis vbi hunc collocarit ignoro. Danubium enim hic vnum ex huius fluminibus facit: eum nempe, quem Sacra vetuſtas *Phiſon* nominat. Hunc vero D. Hieronymus & Euſebius *Nilum* interpretantur, alij *Gangem*. Sed addam quoque D. Auguſtini ad Manichæos hoc, *Beatam vitam Paradiſi nomine ſignificatam exiſtimo*. Alij recentiores qui ex profeſſo de ſitu huius ſcripſere, ſunt Moſes Bar Cepha; Benedictus Pererius Societatis Ieſu in Geneſim; Ioannes Hopkinſonus peculiari libello, in quo & huius chorographica delineatio. Alij quoque, vt Beroaldus, in Chronico, Vadianus in trium orbis partium deſcriptione; item Ludouicus Nugarola in libello de Timotheo, ſiue Nilo. Ego vero Paradiſum vbique fuiſſe puto, ante Adami nempe lapſum; & non locum ſignificare, ſed loci naturam, ſiue qualitatem.

FINIS.

Errata quædam in Hebręis,nam quæ in Gręcis & latinis commiſſa, facilè quiuis obſeruabit.

Pag.10.lin.vlt. poſt Scealthiel omiſsum בן. *pag.15.lin. 9. à fin. literæ non ſatis benè ſeparatæ, & ideo duæ voces in vnam coaluerunt , & aliæ nimis propinquæ vnam vocem ex duabus fecere, & in vltima voce caph pro reſch poſitum. pag. 28.lin.2.à fin.*עביר *corr.*צגיר*.pag.40.lin.antepe.* בסבהדרין *tertia à fine litera ponatur reſch.& lin.vlt.*הל *tranſponatur* לה*. pag. 56. lin. 12. in tertia vocula dalet poſitum pro reſch. pag.63. lin.5.à fin.*מירם *litt.tranſpoſitæ pro* מרים*. pag. 207.in margine Ophyra inſula, corr.Sofala inſula.*

Hos tres libellos dignos cenſeo qui recudantur:

Guiliel. Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus ac Archiducalis Librorum Cenſor.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE ROMA